
CLAVDII


GALENI PERGAMENI DE DIFFERENTIIS FEBRIVM LIBRI DVO.

Laurentio Laurentiano Florentino interprete,

Accuratè per Simonem Thomam recogniti, & ex fide Græci exemplaris penè alij facti.








LVGDVNI,


Apud Gulielmum Rouillium,

sub scuto Veneto.

1550.



METHODVS LIBRORVM DVORVM DE DIFFERENTIIS FEBRIVM.






ALENVS *statim initio designat vnde febrium differentiæ traducantur. Quæ omnino à substantia rei quæ definitione febris explicatur vel accidentibus, & maximè ijs quæ propria sunt & quasi familiaria febri ἐπισυμβάματα inde vocant Philosophi, quia rem ipsam necessariò consequantur, aut certè vt plurimùm ei accidant: differentias repetit, deinde alijs quæ communia quæq; ambigua in hoc & aliud febrium genus incidunt. Quæ posteaquàm breuiter statuit, vexat medicos qui sine arte & methodis logicis diuidant atque ita rudes cōmentarios tradant sine arte, œconomia, & ordine. Quæ vt plenius intelligantur, recurrendum ad præcepta logices in quibus facultas diuidendi constituta, recognoscendum ex Philosophis quid πλεονασμὸς, ἐλ-*

ληψις, ἀφαίρεσις, παράληψις, πρόσθεσις, ὑπέρβα-σις, quæ denique vitia & virtutes diuisionis. Iam verò ex Hippocrate plenam febrium diuisionem transcribit. Ex quo in compendium & certas differentias contrahit. Atque hic ad aliud methodi genus se conuertit διακριτικὴν Plato, Hippocrates διορισμὸν & διαστολὴν appellauit. Ars est quæ iam distinctas species inter se comparat quid in ijs commune & propriũ quid idem & diuersum, quid denique simile ac dissimile dijudicat. Atque ita partim communibus, partim proprijs singularum essentiam constituit, & definitione explicat. Rursus constitutas species subalternans καθ᾽ ὑποδιαίρεσιν appellatam secat, atque iterum ad διορισμὸν redit, eaq; persequitur dum ad postrema ventum sit, differentias quasdam accidentarias seorsum annotat & eorũ causas quæ in febrium naturam incidunt, statæ periodi fluxionum & similium. Simplices quoq; febres primùm, deinde complexus artificiosè declarat.

*




GALE. PERGAMENI DE DIFFERENTIIS FEBRIUM,

LIBER PRIMVS:

Interprete Laurentio Laurentiano Florentino.

Quæ'nam sint febrium differentiæ principales, & quòd essentia febrium sit in genere caloris præter naturam. CAPVT I.



IFFERENTIAE febrium, maximè quidem propriæ ac principales, secundum earũ substantiam sunt: aliæ verò secundum aliquod accidẽs. Quoniam verò & ipsorũ accidentium nõ [v]na est natura, sed alia quidẽ propinquio[r]a, magisq; propria diuidendæ substantiæ [su]nt, alia verò remotiora ac magis aliena: [id]circo & earũ quæ hinc sumuntur differẽ[tia]rũ minimè vnum genus est. Itaq; maxi[m]è quidem peccant, quicunque differẽtias [pro]prias ac maximè principales omittunt. [De]inde verò, quicunq; mentione harũ fa[ciunt], permiscent cum eis differentias accidẽ[tiu]s æqualiter oẽs, minimè discernentes

Febrium differẽtiæ duplex. Accidens duplex.

πλεονασμὸς in explicandis differentijs intelligitur non solum quia extra naturam rei, quæ diuiditur, excurrit diuisor, sed quia plures enumerat quàm institutū in præsentia requirat, hîc enim ita tractatur ars, vt aliquid prudētiæ & consilio reliquatur.

Explicatio dictionis repetēda ex cōmen. Gal. in 6. epid. 1. vbi multis tū alia explicantur, tum hoc verbū πεμφυγώδεις, at in exegesi vocum Hippocra. breuius ἤτοι νοτίδος μεστοὶ καὶ ὑγρότητος ἢ καὶ πνευμάτων, in quibus scilicet magna vis humiditatis & flatuum est.

vtiles ab inutilibus. Nō solùm autem peccarunt plærique medicorum in ipsis differentiarū generibus, aut plures quàm oporteret tradendo, vt inutilium quoq; meminerint: aut pauciores, vt nonnullas etiam vtiles omiserint: sed etiam diuidēdo genera ipsa in proprias differētias, similiter errarunt. Ne longius abeas, quum primùm ac maximè proprium differentiarum genus, ab ipsa rei diuidendæ substantia sumatur, videas tamen nonnullos medicos prætermisisse vniuersum hoc genus, alios verò diuidēdo plura quàm opus esset statuisse, aut in primis substitisse, tametsi Hippoc. optimè fecerit diuisionē lib. 6. Epide. Dictio autem habet in hūc modū: Febres, hæ quidem manu sunt mordaces, illæ verò mites: quædam autem non mordaces, sed increscentes: nonnullæ acutæ, sed ab ipsa manu deuicta: quædā statim ardētes, quædam verò semper debiles, siccæ: aliæ salsæ, aliæ † inflatæ, aspectu graues, aliæ ad manū

humidæ,aliæ rubicũdæ valde,aliæ liuidæ, aliæ præpallidę,& alia istiusmodi.Apertissimè enim hoc loco ab ipsa rei substantia, simulq́; ab ipsa dignotione in proprias differentias fecit diuisionem. Nam essentia quidem febrium est in genere caloris præter naturam. Differẽtiæ verò caloris,& ex eo quòd maioris minorisq́; rationem admittat,sumũtur,& ab ipsa materia, in qua calor ille præter naturã existit, & ab ipso mouendi modo:quas omnes complicans, cum dignoscendarum earum ratione scripsit,quemadmodum procedente sermone docebimus.Porrò autẽ quæ à maioris minorisq́; ratione ducuntur,sunt manifestæ: & in hoc genere differentiæ, medicis mos est magnam,ac paruam febrem nominare,verùm impropriè quidẽ de rei qualitate quantitatis vocabulũ enunciant, sed ita facere cõsueuerunt,nõ in febre solùm,sed in aliis sexcẽtis,quę in qualitate quidẽ ipsa essentiam habẽt,cæterùm magna paruaq́; nominãtur.Quæ verò differentiæ à materia sumũtur,in qua calor ille pręter naturã cõsistit,maximè propriæ caloris præter naturã differẽtiæ sunt:siue corpus ipsum cordis præhẽderit, siue humores conditos in ipsius vẽtriculis.Reliqua aũt ac tertia differẽtia est,vbi aërea substãtia sola admo-

Differentiæ à materia ductæ maximè propriæ.

dùm incaluit, humida verò ac ſolida corpora adhuc quidem incaleſcunt, ſed nondum incaluerunt. Nō enim parùm differt, incaleſcere aliquid dicas, an incaluiſſe. Sed

Analogia

diſcas euidētiſsimè id quod dicitur, ex his exemplis. Finge aquam calidam inditam lebeti frigido, deinde ab ea ipſa aqua calefieri contactu ipſius lebetis corpus, nondū autem totum exquiſitè incaluiſſe, & rurſus finge in calidum, atque ignitum lebetem frigidam aquam inditam, deinde calefieri quidem adhuc, nondum autem incaluiſſe. Ex his exemplis, cum ſecundo quidem prima febrium differentia ſimilitudinem habet, quas corpus ipſum cordis præhendiſſe docuimus: cum primo autem, ſecunda, quas conditos in ventriculis humores occupaſſe diximus. Reliqua autem ac tertia differentia exēplū omnino ſimile non habet: ſed claritatis cauſa, finge fabrilē follē trahere ad ſe aërem admodū calidū: deinde calefieri adhuc ab eo, nondum autē incaluiſſe. Sed exemplū magis indicabit rei declarandæ naturā, ſi finxeris, in folle contineri humorem: atq; adhuc magis, ſi foramina follis per quæ trahit atque emittit aërē, ita anguſta effeceris, vt humori quidē inuia, aëri verò peruia ſint. Qua ſanè in re potiſsimum diſsident naturæ opera, ab his

quæ homines ipsi efficiunt. Etenim substā stātia aërea permixta cum sanguine est in omnibus arteriis, per multa foramina pariter spirantibus: ac nihilominus in ipso corde, vt quæ per eas omnes confluat.

Calorem accendi interdum in spiritibus, interdum in humoribus, interdum in partibus animalis solidis, quas Hippo. continentia nominauit. — *Febrium ordo.*

CAPVT II.

Hic ergo calor prēter naturam, quem appellamus febrem: aliàs ex alio de prædictis incipit. † Occupat autē, ac simul afficit cum eo quod affectum est, reliqua duo genera. Facillimè ergo calor ex humoribus ad spiritū trāsmeat: humores autē tardiùs ignem concipiūt à succēso spiritu: atque etiam solidum corpus prōptius tribuit calorem humoribus, aëriæq; substantię, quā ipsum ab illis accipiat, omnis enim substantia tenuis facilius quàm crassa alteratur. Tenuissimus autē aër, crassissima autē corpora solida sunt: humores mediò genere ambigūt. Nec quicquā refert pręsen- loco, spiritum vel aërē appellare, nam de is alibi fusiùs diffinitū iam est. Nūc verò fficiet illud tātūmodo scire, quod (puto) ipp. indicans dixit, Continentia, ac con- ta, & impetū faciētia. Continētia quidē pellās, ipsas corporis partes solidas: con-

† ἐπινέμεται, depascitur & quasi serpit transitq; è spiritibus ad humores & contrà atque hinc etiam solidum corpus peruadit.

Facilè permutabilia.

Continētia, contēta, & impetum facientia.

tenta autem, humores: impetũ verò facientia, spiritus. Febrilis enim dispositio aliàs ex alio de prędictis incipit: verùm in eo genere quod primum affectum est, minimè permanet, sed occupat reliqua duo: ac nisi priùs soluatur, processu temporis illa similiter afficit, atq; hæc summa sermonis est. Sed oportet ea quæ dicta sunt, demonstrare, notasq; vniuscuiusque generis febrium percurrere. Statim itaque de generatione earum dicere aliquid opus est.

Febrium genera se ex alio consequio trahunt.

Quonam modo febris ephemera, id est, diaria ex causis primitiuis atque euidētibus prehendat, qualis empiricorum, qualis rationalium via sit ad inuentionem, quæ quoniam partim experientia, partim ratione perficiatur, sine methodis logicis esse non potest. Ex suppositione paulatim ad genus febrium descendit, & hoc ex materia diuidit.

CAP. III.

Febriũ generatio & causæ pręgressæ.

EX lassitudine ergo, ira, mœrore, vstione, frigore, insomnio, cruditate, temulentia, ac satietate, quosdã febricitare cunctis hominibus perspicuum est, ab ipsa rei euidentia edoctis. Quinetiam pestilentem aëris cõditionem afferre febrem, minimè ignorant, quicunque intellectu participãt: quemadmodum & versari cum his qui peste laborant, periculosum esse. Affici enim periculum est, quasi à scabie quadam, aut

vide cap. 6.

oph

ophthalmia. Periculosum prætereà est, cō-
suescere his qui tabe tenentur, atque in totum cum omnibus qui putridum adeò expirant, vt domicilia in quibus decumbunt, grauiter oleant. Constat prætereà ex lōgo rerum vsu, vt qui consuetudinem exercitationis omiserint, vt aliis multis morbis, ita nihilominùs febrilibus corripiātur. Et itē, vt quæ vocatur plethora generet febres, atque etiam praui cibi, ac medicamēta, & æstus circa Canis syderis ortū: & alia huiusmodi cunctis hominibus (vt ita dixerim) perspicuū est. Quæ verò ab ipsis in corporibus nostris fiat affectio ex qua febricitamus, minimè sciunt, neque plærique hominum, neque quidem medicorum. Duplex autem genus ignorantium talia est: alterū quidem, quòd ipsa experiētia tantummodò nititur, tanquàm nulla rei cuiusquàm natura, ratione posit inuestigari. Alterum autem genus est eorum qui sapientes quidē videntur, sed cùm ignorent æquè quàm priores, scientiæ tamen habent existimationem. Ignorare autē eos contingit, quia nullam habent in methodis logicis exercitationem, ex quibus cognoscūtur ac discernuntur à demonstratiuis sumptiōibus verisimilia quidē, sed quę nihil veri aut inuenire aut demōstrare possunt. Huic autē insci

Cōtagiosi morbi.

Putridum expirantes.

Ignorantiū genus duplex.

Ignorātia causa.

Logicarū methodorum vsus.

inſcitiæ inſolentia acceſsit,ob quã nonnulli ex eis in tantã audaciã atq; amentiã deuenerũt,vt nec ea quæ omnes homines cognoſcũt,experiẽtia ipſa edocti febriũ cauſas eſſe cõcedãt.De quibus cũ libro de cauſis procatarcticis abundè docuerim, nihil opus eſt hoc loco mẽtionẽ facere temerariæ loquacitatis eorum.Neq; enim cõtradicere,neq; ſoluere ſophiſmata hoc libro inſtitui:ſed inſtituere ac docere,ſubiiciẽdo ea quę alibi à nobis ſunt demonſtrata, ac docẽdo differẽtias febriũ.Subiiciũt ergo, caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem atq; humiditatem eſſe elementa corporum, ac fieri primas ęgritudines ex intemperie horum è quibus vna febris exiſtit quoties calor quidã præter naturam in corde extiterit.Differẽtiæ autẽ ſecundum genus caloris de quibus præſens ſermo tractat,ab ipſa materierum genere tripliciũ differẽtia ducuntur,ſuſcipientium† igneã caliditatem. Aut enim in ipſo corpore cordis,aut in humoribus prima ipſa accenditur,vt dicebamus,aut in ſpiritu.Præueniũt autẽ omniũ febriũ cõſtitutionẽ nõnullæ cauſæ omnibus manifeſtæ,de quibus paulò antè docuimus, ex quarum obſeruatione empiricus quidẽ medicus ad curationem nonnihil iuuatur.Rationalis verò ad ipſam rei naturã acce

Poſtulatum.

Febris intemperies eſt calida.

† πυρετώδη.id eſt, *febrilem.*

Empirici et rationalis differentia.

accedens, per indicationes ab illa in futurorũ præsensionem, atq; inuentionem curationis, iuuatur: vtẽs omnibus quidẽ experiẽtia ipsa inuentis, adiiciens autem ipsis multa ex docendi via rationali. Quæ ergo sint per vtranq; partem inuẽta (experimẽtum intelligo ac rationẽ) alio loco docuimus. Quę verò dispositio ab vnaquaq; causa procatarctica in corpore cõsistat accendens febrem, nunc docere instituimus. *Rationalis vtitur et ratione & experimento.*

Multas esse causas caloris præter naturam: ex quibus gignitur febris, quoties suscipientia corpora promptè se habeant ad continendum diutius caliditatem. CAP. IIII.

Cvm ergo videamus nõ vnũ modum, neque generationis, neque auctionis caliditatis (quando ne ipsius quidem ignis modus vnus est) sed gignitur aut propter motũ, aut propter putrefactionẽ, aut quia alteri caliditati cõsuescit, aut propter suppressionem calidi effluuii aut propter permistionem calidæ substantię, tanquàm de fonte quodam ebullientis aut genitæ scilicet ad nostrum sensum, aut augentis caliditatẽ: necesse est omnes febrium causas in prædictos modos reuocari: qualis si lubet æstus est, siue ex ipso sole actio talem habeat appellationẽ, siue affectio quæ in corpore efficitur, siue ea quæ iã effecta est. Nã *Caloris multiplex generatio. Febrium causæ vniuersales. Aestus.*

&

*Febris se-
dese ſt cor.*

& ea ipſa calor eſt præter naturam: nõdum tamẽ febris, niſi cor ipſum concalefecerit. Sanè totũ hoc genus cauſę ex cõſuetudine efficitur rei calefaciẽtis, ſiue ſol, ſiue ignis, ſiue medicamentũ fuerit id quod calefacit, extrinſecus quũ aut attingit aut propriùs accedit, aut cõſueſcit, vel quouis, alio modo libeat appellare.

*Calor ex
calidi oc-
curſu.*

At verò ira quaſi ebullitio quædã ac motus vehemens eſt iraſcibilis facultatis, quę in ipſo corpore cordis ſedem habet. Concaleſcit autẽ interdum cũ ea ſpiritus, atq; interdũ ſanguis, & ſi promptè ſe habeãt ſuſcipientia corpora ad continẽdum diutius caliditatem: quãuis ipſius cordis motus deſtiterit, hæc permanẽt calida præter naturam: tuncq; febricitare hominem neceſſe eſt. Hæc ergo febris principium habet, motum atq; ebullitionem natiuæ caliditatis.

*Calor ex
motu &
ebullitio-
ne.*

*Iræ calor
quando fit
febris.*

Febris autẽ quæ ex mœrore cõſiſtit, non etiam ebullitionẽ, ſed motum tantummodò principium habet.

*Febris ex
mœrore.*

Si autẽ ex laſsitudine efficiatur, principiũ quidem habet motum ampliorem muſculorũ ac neruorum, & ligamentorũ, & articulorum, quæ quidem prima caleſiũt: calor autem continẽter cordi diſtribuitur, ac tunc febricitant.

*Ex laßitu
dine.*

Vbi verò febris propter dẽſitatẽ cutis accẽditur, qualis maximè aſtrictis refrigeratisq; fieri ſolet: collecto in corpore

*Calor ex
ſuppreßió
ne calidi
effluuij.*

remordaci effluuio cōſiſtit. Difflātur enim ſemper animaliū corpora duobus modis, emiſsis foras quotidie vaporoſis, fumoſisq; excremētis: attracta autē intrò aërea ſubſtantia refrigerante, atq; ventilante naturalē caliditatē. Vbi igitur fortis cauſa cōdēſando cutē prædictos meatus aſtringat, ſępe plethorā inducit, quoties vaporoſa ac benigna materia affluit: interdū febrē cōmittit, quoties acris, ac mordax fuerit. Idq; maximè quū ex eo augetur calor, quia refrigerans aër intra corpus nō trahitur. Excernitur autē excremētū acre, ac mordax, aut iis q ſunt natura malis humoribus pleni, aut iis qui malos cibos ingeſſerūt, aut ſępè nō bene cōcoxerūt, præſertimq; iis qui præterquā quòd cibis dictis veſcūtur, etiā limoſam, aut lutoſam, aut cœnoſam, aut paluſtrē, aut ſtagnātē, aut alio quouis modo corruptam & putrefactā aquā bibunt. Eodē modo euenit, vbi immoderatè laborēt, aut vigilēt, aut †angore afficiātur, aut acria medicamēta frequēter ingeſſerint. Cibos aūt malos intelligo, & qui ex natura tales ſunt: vt āllia, cępe, naſturtiū, porrū, braſſica, ocymū, vrtica: & alii quicūq; nominātur agreſtes, vt lapſanæ apud nos atq; etiā qui boni ſunt ex natura, ſed ob putredinē quādā prædictis æquale, aut maius ſæpe-

Difflatio nis forma duplex.

Effluuiū vaporoſum & mordax.

Auctionis caloris cauſa potiſsima.

Effluuiū mordax quibus excernitur.

† φροντίσι.

Cibi mali forma duplex.

numerò vitium acceperũt, vt ordeũ, ac triticũ, & aliæ omnes fruges: partim ob tẽporis longitudinem ad putridã dispositionẽ deductæ: partim situ quodã repletæ, quia prauè repositæ sunt: partim ex prima generatione ab ipsa rubigine vitiatæ. Tales igitur cibos etiã nũc pleriq; comedere coacti præ fame, vel febribus putridis, ac pestilentibus mortui sunt, vel †pustulis scabiosis aut leprosis correpti. Vbi igitur corpus fuerit plenũ talibus humoribus, nulla autẽ obstructio in visceribus fuerit, atq; animal in cute tota liberè difflatur, ac refrigeretur, sanum quidẽ existit, sed breuẽ, lubricãq; obtinet sanitatem. Vbi verò exterior terminus aut astringatur, aut in profundo meatus obstruatur, si adstringatur, nunc dictũ febriũ genus, si oppiletur, id quod paulò pòst dicẽdum est, consistit. Nihil igitur mirũ videri debet, si ex cruditate, hi quidẽ febricitent: illi nihil eiusmodi patiãtur. Etenim iis qui malis iam humoribus pleni sunt, ac malè difflantur, aut intempestiuè laborant, aut lauantur temerè, promptum est febricitare. Iis autẽ qui bonis sunt pleni humoribus ac probè difflantur, & quiescũt, ac †fouẽt ad iecur, & ventriculũ attinẽtes partes, impossibile est febricitare (in iecore enim ac ventre manet quicquid corruptũ est, ac tẽ-

Cibus bonus tripliči forma vitiatur.

Vitiosi cibi incommoda.

† ἐξανθήμασι.

Astrictione & obstructione alia febres sequũtur.

Ex cruditate febricitantes.

Febricitare parati.

† Θάλψαντα κατὰ τὴν γαστέρα. &c.

bene habẽt à iecinore, et vẽtricu.

poris spatio paulatim concoquitur atq; efficitur benignũ.) Quemadmodũ & iis qui motus fortiores sustinuerint, aut in sole æstiuo steterint, aut in balneum calidũ dulcium aquarum descenderint, cibi corrupti in vniuersum corporis habitum trãssumũtur: sic eos quibus corrupta cibaria deorsum deferũtur, febris minimè sequitur nisi propter aliquã aliã causam: vt si sæpenumero surgẽdo in lassitudinem inciderint, aut ventrẽ ipsum inflammatio tentauerit.

lo, ea enim formula dicẽdi κατὰ τὴν γαστέρα, magis vẽtriculus quàm quæ vicina vẽtriculo intelligitur, quãquã et

Ex putredine accendi febrem, cuius causa est vicina obstructio: ac potißimum putrescere, quæcunque calida atque humida sunt.

CAPVT V.

Caeterum si meatus obstruantur atque humores stipẽtur (nam de ea re docere distuli) animalia putridis febribus tentãtur. Promptissimè enim putrescũt quæcũque calida & humida, & multa sunt in locis calidis, nisi difflẽtur, ac refrigerẽtur. Ergo neq; mirũ videri debet, quamobrẽ febres sequãtur plethoram: quoniã per eiusmodi dispositiones multæ obstructiones efficiũtur, ac totũ corpus difficulter difflatur. Igitur ex plenitudine quę est ad ipsas vires humores ipsi citò corrumpuntur neque euicti, neque concocti, probè: quippe quòd vires conficientes eos, debiliores existant.

Obstructio.

Putrefactioni obnoxia.

Plenitudo ad vires.

Quocirca quæcũq; cibaria glutinosa crassaq; sunt, morbos cõmittere magis possunt, obstruere enim, atq; stipare humorẽ ex illis facilius est. Sed nonne cõtrarias scilicet extenuantia & acria, morbos committere possunt? Videtur enim qui alterutro victus genere frequẽtius vtuntur, febre similiter prehẽdi: quia hæc omnia (vt ante diximus) malos humores gignere assolent. Hæc ergo, ratione ea quòd malos humores gignunt, febrium causa sunt: alia verò ratione putredinis, quæcũq; glutinosa, crassaq; existunt. Nec secus partes inflãmatione affectæ ratione putredinis accendunt febrẽ. Impactus enim in eas, qui influxit humor, vbi fuerit naturâ calidus, quia nõ benè difflatur: putrescit. Vbi igitur †decurrens humor fuerit planè biliosus: caliditas †sacro igni subsimilis occupat partẽ, vbi sanguineus †inflãmationi subsimilis ex ambobus verò mistus, vel erysipelas fit phlegmonodes, vel phlegmone erysipelatodes: nomen quidẽ sumẽs ab humore dominãte, †denominationẽ verò accipiẽs ab altero. At verò ex his omnibus accenditur febris: ratione societatis. Semper enim simul cũ eo quod incaluit, pars cõtinua calefit, quousq; affectio ad cor ipsum peruenerit. Nam & continuè carbunculis partes cũ eis simul calefiunt

Ex inflãmatione febris.

† ῥεῦμα.

† ἐρυσιπελατώδης.

† φλεγμονώδης.

† ἐπωνυμίαν, quasi aduẽtitiũ nomen & ex accidẽti superdatum velut cognomen.

fiũt, genitis ex sanguine perquã calido, sed magis melancholico propter adustionem.

Pestilentis febris causam esse inspirationem, potissimum quoties corpus in eam dispositionem sit preparatum, quoniam maxima pars generationis morborum est corporis preparatio.

CAPVT VI.

CAlidiores præterea ambiẽtis nos aëris conditiones (quales sunt circa Canis syderis ortum) potissimum per inspirationem perspicuè cor ipsum calefaciunt: extrinsecus verò circunfusæ corpori, totum ipsum calidũ reddũt, maximeq; arterias: vt quæ nõnihil substãtiæ ipsius ambientis aëris attrahant, ex quibus omnibus simul afficiatur cor necesse est, atque ipsum in primis immodicè calefiat, maximeq; febrili dispositione tentetur, atq; toti subinde corpori immittat oportet. Vbi verò pestilẽtes subeant conditiones, inspiratio potissimũ causa est. Interdũ enim efficitur febris propter humores in corpore aptos in putredinẽ, quoties animal breuẽ quandã occasionẽ ab aëre circũfluente susceperit: sed magna ex parte incipit ex aëris circunfluentis respiratione, quem putrida exhalatio infecit. Principiũ autem putredinis, aut multitudo mortuorum est minimè crematorũ, quemadmodũ in bello fieri solet: aut exha- *Putredinis aëris principia.*

latio paludis cuiusdã, aut stagni tẽpore ęstiuo atq; interdũ immoderatus calor circũfluẽtis aëris est principium, queadmodum in pestilẽtia quę Atheniẽses inuasit, vt Thucydides ait, viuentes homines in suffocatis nec ita, perflatis tuguriis æstate corruptio afficiebat. Est autẽ initiũ pestilentis febris, eò quòd humores corporis ex prauo victu sint in putrefactionem parati. Forsitan autẽ accidit id propter †cõtinuitatẽ, quòd ex Aethiopia fluxerũt quædã mala inquinamẽta: quæ iis qui habebãt corpora læsioni parata, causæ febris extiterũt. Huius enim semper meminisse oportet tot hoc sermone, vt nulla causa sine corporis aptitudine efficere posſit: alioquin omnes qui in sole diuersantur æstiuo, in febrẽ inciderent, & qui plus æquo mouentur, aut bibunt, aut irascuntur, aut mœrent. Nec secus omnes ęgrotarẽt circa Canis syderis ortũ, atq; in pestilẽtia perirẽt. Sed (vt est dictũ) maxima pars generationis morborũ est afficiendi corporis præparatio. Subiiciatur ergo pro exemplo in ipso aëre inuehi quædã pestilẽtiæ semina: atq; eorũ corporũ quæ versantur in eo, hæc esse variorum excrementorum plena, paratorum quidem ex seipsis putrefieri, illa sine excrementis, ac pura, atq; addatur prioribus inesse obstructionem mea

† συνεχὲς aërem.

Corporis præparatio bonam partem actionis sibi vendicat. Agentis virtus ac paſsi aptitudo.

meatuum vndiq;,ac plethorã appellatam, ac vitã otiosam in multis epulis,& ebrietatibus,& Veneris vsu immodico,& cruditatibus,quæ omnia prædicta necessariò cõsequuntur. Aliis autẽ omnibus corporibus puris, ac sine excremẽtis infit vltra ea quæ diximus commoda,quod omnibus spiraculis corporis neq; obstructis,neq; pressis angustia bene trãspirat:exercitatio verò prudenter instituta,ac victus ratio moderata, deinde,his ita subiectis,cogitabis num sit verisimile vtraq; corpora cõspiratiõne putridi aëris affici. Nõne cõsonũ est hæc statim à prima inspiratione initiũ putredinis accipere,vnde in maiorẽ †noxã prolabatur, quęcũq; verò vacua excrementis & pura sunt,ea vel nullo modo,vel exigua labe infici vt facilè ad habitũ naturę recurrãt? Itidẽ quoties aëris tẽperamẽtũ ab ipso naturæ habitu immoderatè recessit ad humiditatẽ & caliditatẽ, pestilentes fore morbos necesse est:affici autẽ his maximè,eos qui iam prius pleni fuerint humiditate excremẽtosa:quemadmodũ qui laboribus moderatis ac victus ratione tẽperata vsi sunt, penitus impatibiles permanẽt per omnes eiusmodi affectiones. Hic sermo super vno exẽplo dictus est,sed in omni genere causę pestilentis verus est. Ac cui libeat integrè in eo exerce-

Imbecillæ concoctionis causæ.

† κάκωσιν id est noxam.

Impatibiles ab aëre pestilenti.

ri:legat librū de causis ꝓcatarcticis,id est, externis. Ego verò præsenti libro parcens lōgitudini,vno capite omnē eū cōprehendēs,finē faciā. Oportet enim in vnoquoq; causarū genere scrutātē qua potissimū facultate morbos committere soleat,deinde cōsiderare cōgruētes, & repugnātes ei dispositiones corporū,scientē vt congruentibus quidē prōpta læsio est,aduersus autē, ac repugnātibus,quantā vim habeat & magnitudinē contrarietas:tātùm inuicti permanebūt.Ipse nanq; vidi nōnunquàm eueniente tali cōditione qualē Hipp. in oppido Cranone fieri dixit: carbūculos grassatos non paucos:quorū generatio & alia omnia eo quo ille scripsit modo,planè fuerūt.Quinetiā quæcūq; tertio libro Epidemion in pestilenti scripsit conditióne,ea etiā omnia per aliā similē illi cōditionem extiterunt.Summa eorū(vt ipse Hippo.dixit)putredo fuit, atq; id ipsi cognoscētes, statim incipiēte conditione quæcūq; corpora vidim⁹ humida,statim quouis modo exiccare tētauimus:quæcūq; verò ficciora, pristinā naturā in his custodiuimus, quæcunq; verò excremētis plena, purgationibus sanauimus:quascunq; verò obstructiones meatuū soluimus,atq; aperuimus.Sed hæc quidē iam quodam modo ad medēdi.

Facilè & difficilè patibilia.

Initio.2. epid.

Conditione pestilēti quida- gendum. Cōmēt.3. statim initio.

metho

methodũ pertinent,& ſcilicet in eo opere fuſiſsimè dicentur. Nũc autẽ eorũ mẽtionem feci,ſequutus ſermonẽ docentẽ quonam modo ab vna cauſa exuperãte quidã præhenduntur febre,alii impatibiles permanẽt. Diſpoſitiones enim corporũ diſsimiles,multiformesq; ſunt:& idcirco quidam facilè vincũtur,ac promptiſsimè patiuntur à cauſa agente:alii inuicti penitus & impatibiles ſunt,aut difficulter patiuntur. Ad eius rei demonſtrationẽ coacti ſumus mentionẽ feciſſe etiã curationis,perinde vt Hippocra.faciẽtes,qui alicubi eodem quodã modo celebre illud verbũ adſcripſit. Id autem ſanatio ipſa indicat.

De præcautione, & quonam modo diaria febris ex bubone conſiſtat. CAP. VII.

PRæcautio igitur ſecundũ talẽ quendã modum ſanatio eſt. Quãdo & ipſa nomina ſæpenumerò cõfundũtur apud medicos. Vt enim alio libro diximus, omnis medici operatio corporis ipſius vitia corrigit. Sed nihil ad propoſita,huiuſmodi nominũ ſubtilitate egemus. Siue enim ſeces in duo nomina totũ id,ſanationẽ ac præcautionem,ſiue in vnũ ambo colligas,ſanationem appellãs:non paruo argumento eſt,non omnes ab eiuſmodi cauſa ſimiliter affici, diſpoſitio corporum, quæ pro-

Præcautio.

Medici officium.

hibita sunt corpori epidemiis ac pestilẽtibus morbis. Vnũ enim primumq; consiliũ in omnibus commune est, vt corpus maximè vacet excrementis & ad trãspiratũ habile sit, secundũ verò post hoc, vt exuperãti causæ repugnet, quoad fieri potest. Qui bus verò contraria horũ insunt, ocyssimè patiuntur, maximeq; egrotãt. Sed quoniã febriũ pestilentiũ mentionẽ feci, ex putredine omniũ ortũ habẽtiũ, par est incũbẽtẽ animo ad hunc sermonẽ explicandũ hoc loco scrutari de antiqua opinione, omnẽ febrẽ cõsistere ex humorũ putredine dicẽte. Vidẽtur enim ita sentire ii qui ab Athenæo fluxerunt, nõ obscuri quidem viri in hac arte, præsertim in ea quæ est de febribus scientia: in quibus ego plurimũ cũ illis sentio, veruntamẽ vnũ excipio, diarias nominatas febres. Non enim mihi videntur hæ subsequi putredinẽ humorũ: sed qui ob æstum febricitat, ab ipso efficientis causæ calore alterari solet. Ob iram verò febricitanti, & ei quidẽ ebullitionẽ quandã fieri sanguinis in corde necesse est, nõ tamẽ putredinẽ. Necnon per exercitationẽ, caliditatẽ ampliorẽ præter naturã sine humorũ putredine accẽdi, & quisquis cutẽ habuerit adstrictã per quã acria excremẽta euacuabantur, illis collectis febricitauit sine pu-

Epidemiorũ morborum præcautiones.

Hic initiũ alij faciũt 7. capit.

Quæstio.

Febris ephemeræ generatio.

tredine humorũ. Quinetiam febris ex bubone omnis, mala est, excepta ephemera, vt Hippocrates dixit: licet etiam bubo ipse inflammationũ genere cōtineatur. Atque assentio in hoc sermoni putredinis, nã ob eã rẽ ex inflãmatione febricitãt, nõn quẽadmodũ Erasistratus existimauit. Attamẽ nonnullæ sunt ex bubone febres in genere diariarũ, quẽadmodũ aliæ, quædã nuntiant nõ faciles curatu morbos, ex inflammatiõe, aut vlcere, aut abscessu, aut altero quopiã tali in viscere affectu ortũ habẽtes.

Febris ex bubone duplex, ephemera & putrida.

Cæterùm disidẽt febres ex bubone ab iis, quæ ex putredine humorũ cõsistũt, quæ fit aut in aliquo viscere, aut in cauis: ac maximis vasis: quoniã vbi febris ex bubone cõsistit, pars cõtinua semper calefit, ac calor quidẽ vsq; ad ipsum cor distribuitur: cæterũ putrida fuligo vsq; ad ipsum minimè ꝑuenit, sed ibi manet circũscripta in bubonis loco, per alteratione̅ solã cõtinuarum partiũ ad cor ꝑueniẽte calore. Quò potissimũ modo etiã per æstũ ac ꝑ exercitationẽ ex partibus primò calefactis, distributio ad ipsum principiũ vitale fit. Vbi autẽ putredo fuerit in visceribus atq; in magnis vasis, veluti fumus ex putrescẽtibus humoribus ad ipsos cordis sinus ꝑuenit. Accidit igitur vt humores in bubone q̃dẽ oẽs cun-

Ephemeræ & putridæ febris discrimen.

Humor cũ sim putrescens.

ctim putrescant, siue vno die, siue duobus cōtinēter: vtpotè semper inuicē cōuersantes & inclusi vno loco: in visceribus autē cōditi, & in magnis vasis, vtpotè trāsfluentes semp, ac simul putrefaciētes quos attigerint, tēpore ampliori putridū accendūt calorē. Sed vt vno verbo dicā, queādmodum in exteris omnibus, quæcūq; calefiūt præter naturam à quauis causa, si nequeat putrescere id quod calefit, velut lapis, aut lignū, aut aliquod aliud tale, eò vsq; perseuerat calidū quoad refrixerit paulatim. Id autē quod putrescere potest, depascentem semper secūdū cōtinuitatē habet calorem. Quēadmodū interdū vidi in agro stercus pecudū simul & columborū ex parte quapiam ab ipso sole calefactū ita vehemēter, vt multa exurgeret exhalatio, instar fumi ascendēs, vehemēter mordēs atq; afficiēs, & si quis propinquasset, oculos & nares lædens. Porrò stercus tāgētibus erat ita calidum, vt deureret diutiùs impositas ipsi manus, aut pedes. Nō tamē semper id symptoma durabat: sed sequenti die refrigerabatur qdē quantū stercoris ad summū feruorem pridie peruenerat: quod autē cōtinuū ipsi erat, tūc succendebatur, qn primū stercus in summo feruoris vigore erat: illudq; ipsum (dum hoc inclinabat) rursus incalebat

Calor continuè putrescentia depascitur

Analogia.

bat

bat atq; efferueſcebat, ac paulò pòſt ſummum feruorẽ obtinebat, primo refrigerato, atq; illud rurſus inclinabat, dũ id quod cõtinuum erat, calorẽ cõcipiebat: & paulò pòſt accẽdebatur quidẽ hoc, & ad ſummũ feruoris perueniebat, prius autẽ refrigerabatur. Erat autẽ hæc circuitio ferè tempus diei ac noctis: ita vt exẽplũ ſit maximè cõueniens febri quotidianæ. Si verò duobus diebus ac noctibus dicta circuitio fuiſſet, exẽplũ foret ita febris tertianæ: & ſi tribus, quartanæ, & ſi quatuor, quintanæ, ſi modò febris vlla quintana eſt, ipſe enim nondũ perſpicuè vidi, neq; eã circuitionẽ, neq; aliquã aliã vltra quartanã. Sed de febribus repetentibus p circuitionẽ, pòſt dicetur. Putredo autẽ humorũ quæ fit in vaſis, ſimilis putredini quæ in inflãmationibus fit, & abſceſsibus, & aliis phymatis, duplex qdẽ genere eſt: ex permiſtione autẽ duorũ generum, alia tertia varia ſpecie exiſtit. Siquidẽ & mixtionis modi, quũ alterũ genus maioris minorisq; ratione ſuperet & ſuperetur, facilè numerari nõ poſſunt, ſed ex duobus generibus alterũ quidẽ fit ſuperante natura, alterũ verò euicta. Superante quidẽ, vt per inflãmationes & phymatoſos tumores omnes, pus: in humoribus autẽ venarũ & arteriarum, id quod ſubſidet in vrina pro-

An ſit quintana febris. Hîc aliĳ faciũt initiũ.cap.8.

Putredo triplex.

Pus ſuperante natura. Subſtãtia proportionabilis.

portione puri respondens. Atq; hæc putredo non simpliciter putredo censetur, sed etiam habet aliquid cõcoctionis, manente enim adhuc concoquendi facultate vasorum, putrescens tũc humor ad talẽ alterationem deducitur. Porrò alia est putredo concoquendi facultate adeò debili, vt nulla mutatio ad benignum putrescentis excrementi efficiatur. Quòd fit interdum illa extremè debili: quãuis putrescens humor fit modicè prauus, interdũ autẽ facultas ad extremam debilitatẽ minimè deducitur: sed humor extremè prauus existit. Huiusmodi excrementi putredo, neq; cõsistentiam, neq; colorem, neq; odorem habet vnum: sed putrescens humor semper secundum substãtiam permutatur ac variatur. Altera verò putredo quam & concoctionem esse diximus, in vnam speciem puris semper mutatur, & colorem, & consistentiam, & odorem.

Putredo concoctione permista.

Putredinis simplicis causæ.

Puris & putredinis discrimina.

Quòd pus optimũ sit candidũ & crassum & minimè fœtidum, & quòd optima vrina habeat sedimẽtum candidũ, æquale ac minimè fœtidum, & quibus indicijs febris diaria cognoscatur.

CAP. VIII.

VBI igitur natura ipsa omnino superet pus optimũ gignitur, visu cãdidũ ac crassum, & sibi simile vndique: læue autem

Pus optimum.

tem tangenti, ac minimè fœtidū. Quòd si velut semiputridum fuerit, tertiū genus in tali mutatione (quod paulò suprà diximus) consistit. Porrò diximus tale genus maximè multiplex esse. Nā quòd magis ac minus recipiat concoctionē, innumerabilis differentia est. Sæpè enim candidū effectum, aut fœtidū est, aut tenue cōsistentia: quandoq; verò non candidū, sed liuidum apparet, atq; in omnibus his magis & minus est infinitū. Cæterū quot in abscessibus putredinis differentiæ sunt, tot in febribus ex putredine accensis † vrinarū formæ existunt. Optima enim quæ putrido humore ea virtute quæ continētibus vasis insita est, candidū, leue, æquale, ac minimè fœtidum sedimentū habet. Pessima verò, maximè cōtraria huic est. Ea verò quę media est, quò magis alteri earum propinquet, tantò melior aut deterior est. Sed de vrinarum differētia ‡ libro de iudicationibus docuimus. Febres autem accensas ex putredine humorum, alias à diariis esse existimare oportet. Atq; harū agnitio nequaquàm difficilis est: quāuis impossibilis quibusdā esse videatur, idq; re ipsa mil-

Pus multiforme.

Abscessus & vrina, sunt proportionales.

Optima vrina.

† τῶν ἐμφερομένων τοῖς οὔροις, id est eorum quæ in vrinis inuehuntur, quæ hic ἐμφερόμενα, alio loco παρυφιστάμενα, nebulæ sunt sublimamenta, & sedimēta. Nam vrinæ substantia in liquore est, accedūt autem ἐμφερόμενα.

‡ Lib. I. capi. 12.

lies

lies indicauimus, prima occasione sedata, lotum ac modicè cibatũ ad solitas operationes redire præcipientes: ceu posteà non febricitaturum, & ita accidit. Vnũ igitur ac primum indiciũ febris diariæ, est ab aliqua causa prægressa incepisse recenti, atq; euidenti: quam cõsueuerũt omnes medici iuniores appellare causam procatarcticã, id est, prægressam. Sed id quãuis inseparabile sit ab huiusmodi febribus, earum proprium minimè est: quoniã & aliæ nõnullæ incipiunt causa quadã euidenti prægressa. Inseparabile verò & propriũ est, vrinæ cõcoctio statim primo die: & ad hæc, pulsus in magnitudinẽ ac celeritatẽ insignẽ auctio, ita vt frequentia per exteriorẽ quietẽ, minimè seruet proportionem. Magis prætereà propriũ, atq; inseparabile earũ indicium est, quòd contractio minimè crescat in celeritatem: vel si crescat interdũ id minimum est, ac cognitu difficile, & paulum à pulsu naturali recedẽs. Quinetiã caloris suauitas proprium atq; inseparabile est taliũ febriũ. Inseparabile verò & æqualitas & ascensus † liber tum in caliditate, tum in pulsibus, nõ tamẽ propriũ est. Etenim quibusdam aliis inest: quemadmodũ & status clementia, neq; enim id propriũ est, quanuis his potissimũ insit. † Ac melius quidem

Febris ephemeræ indicia.

Causa prægressa.

Vrina statim concocta.

Pulsus magna citaq; diductio.

Cõtractio nihilo concitatior.

† ἄθλιπτος.

Pulsus & calor æquabilis.

† *Fortasse sic, atque hæc cõmunia quidẽ secũdũ in-*

fue

fuerit hæc quæ communia sunt, quòd per incrementum ac vigorẽ diariis præcipuè insint, inter propria reponere. Sit enim ita, quanuis † non rei species, tamen optimum certissimumq; talium febriũ proprium simul atq; inseparabile indiciũ: quemadmodum inclinatio quæ cũ sudore aut madore, aut penitus vapore quodam suaui est, quam integritas perfecta excipiat. Atq; his indiciis febres diariæ, promiscuè cognoscuntur. Sed de singulis seorsum secundũ speciem agetur.

crementa & status, melius est propria ponere, quia diariis præcipuè insunt.

† Etenim ex proprietate quæ omni soli & semper inest, species rei cõstituitur.

Quibus indiciis cognosci conueniat febrem putridam, ac de duritie pulsus nonnulla contra Archigenem. CAP. IX.

ALiud autẽ genus febriũ, quòd exaduersum diariis diductũ est, nullũ nomen cõmune omniũ habet. Differẽtiæ autem primæ duæ existunt, nõ obscuris speciebus definitæ, quædã enim ex eis putredine humorum accendũtur, aliæ verò partes ipsas animalis solidas occuparunt: atq; appellãt eas hecticas febres, vel quia stabiles sunt ac solutu difficiles, quemadmodũ habitus, vel quia ipsum corporis habitum occuparunt. Ita nanque solent nominare solidas partes exaduersum diductas humoribus. Febres igitur humoribus accensæ cognoscuntur ad hunc modũ. Primum igi-

Febres putridæ.

Febres hecticæ.

igitur indiciũ, propriũ quidẽ sed minimè inseparabile est, quòd nulla prægressa causa tales præcesſit febres, neutri enim aliorũ generũ hoc ineſt: eo quòd omnis diaria ex causa †prægressa cõsiſtat. Hectica autẽ quoties ſine ea exiſtat, nũquàm ab initio præhẽdit, quocirca quoties ſine prægressa causa quis febricitare cœperit, causam huius esse in humoribus, ſciendũ est. Sed interdũ causa quæpiã euidẽs †prægressa, diariã febrẽ, quantũ est in seipsa, cõmittẽs, febrẽ ex humorũ putredine excitauit, quoties affectum corpus ita se habet, id est, quoties impurum, excremẽtosumq; est. Vbi enim excrementa per diariã febrẽ plus æquo calefacta fuerint, deinde initiũ putredinis inde susceperint, alterũ febriũ genus accendũt, priore sedato. Sed internoſcitur succesſio talis febris indicio proprio simul atque inseparabili: ꝙ febris diaria nequaquàm desinat ad exquisitã integritatem. Accidit enim interdũ, vt per cõsiſtendi vigorẽ diaria transeat in putridã: ac multò magis per inclinationem, quoties (vt paulò ante diximus) maxima tranquilitas febris abeſt, quæ adesse deberet. Hęc sunt trãsitus indicia. At verò febrẽ ex rigore incepiſſe, nequaquàm prægresso æstu vel frigore forti (qualẽ maximè patiuntur, qui per niuẽ faciunt

† Προκαταρκτικῆ.

Hecticæ principiũ.

† Προκαταρξαμένη.

Diariæ in putridam abitio.

Succeßionis eius nota.

Rigor inter initia.

ciunt

ciunt iter, vel alio modo in vehementi frigore diuersantur diutiùs) proprium est & hoc febriũ putridarum, sed haudquaquàm inseparabile. Neque enim omnibus ipsis, quẽadmodũ nec horror, inest: is enim non solũ nõ inseparabilis est ab huiusmodi febribus sed nec vllo pacto proprius est. Cæterùm pulsum atq; etiã calorẽ inæqualem esse, siue per initia accessionũ, siue per incrementa, taliũ generi febriũ propriũ est, sed haudquaquã inseparabile (multæ enim etiam sine inæqualitate sensibili incipiũt, atq; ad statum perueniunt.) Iam verò multò minus illud inseparabile est, ꝙ accessio multas habeat inuasiones: quod † repetere accessionẽ appellamus. Quemadmodum quod pulsus † arctior sit (ita verò dicũt, vbi incipiente accessione paruus admodùm & inæqualis existat) neq; id taliũ febriũ inseparabile est: nõ tamẽ cõmune est alteri vlli generi febriũ, sed harum propriũ, quẽadmodùm ipsa inæqualitas, vbi alicuius symptomatis ratione nõ accidit. Sæpè enim in ipso ore ventriculi collecto quodam prauo humore ac mordaci vel frigido, paruus simul inæqualisq; existit. Sed vbi frigidus humor sit, paruitas: vbi mordax, inæqualitas ipsa exuperat. Sed vomẽtibus, hæc ãbo statim desistũt. Vbi verò ventriculus nihil

Horror.

Calor pulsusq; inæqualis.

Repetere accessionem.

† ἐπιπαρο-ξύνεσθαι.

† θλίψις.

Pulsus arctius quid est.

Parui inæqualisq; pulsus causa.

eiusmodi patitur, pdictarũ generis febriũ talis pulsus existit. At verò maximum indiciũ febrium putridarum, est caloris qualitas. Nihil enim †suaue, neq; moderatũ, neque diariis simile habet. Sed quẽadmodũ optimi ante nos medici dixerunt, mordax potius quodammodo est, vt offendat, mordeatq; tactũ, veluti fumus oculos, ac nares. Verùm inter initia accessionũ (dum adhuc suffocatur calor, ac succẽdũtur intus excremẽta) nõ statim immittentibus manũ dignoscitur: sed diutiùs immorãtibus prædictũ caloris genus de pfundo emergit. Ac (vt mihi videtur) quũ tale aliquid vidisset Themison, propriũ atq; inseparabile esse omnibus febribus existimauit. Sed de his suo loco rursus agetur. Prædictũ aũt genus caloris ppũgẽs (vt ita dixerim) aut erodẽs (veluti medicamẽtũ aliquod acre) impositam manũ, putredinis humorũ soboles est, perspicuè per incremẽta accessionũ, atque vigores febriũ apparens: nõ tamen statim per initia accessionũ perspicuè existit. Proprium præterea inseparabile est generi febrium ex humorũ putredine infestãtium, velocitas contractionis pulsus euidentior quidẽ per incremẽta, sed minimè obscura per ipsos vigores, atq; initia accessionum. Comitatur aũt has per initia, paruus simul

† χρηστὸν.

Calor mordax.

Calor mordax inter initia.

Cõtractionis pulsus velocitas.

ac velox pulſus: per vigorē aūt, magnus ſimul ac velox. Nec ſecus frequētia ipſa per exteriorem quietem perſpicua eſt in eiuſmodi febribus, neq; diariis, neque hecticis ſimilis. Maximè propriū prætereà eſt taliū febrium, vrinæ cruditas, atq; obſcura concoctio, proprium indiciū eſt febriū ex humoribus conſiſtentium. Neq; enim cruda, neque obſcurè cōcocta in febribus diariis exiſtit. Atq; alterutra quidem earum ſeorſum dicta proprių eſt febrium putridarū indicium: ſed ambo ſimul dicta † per ipſam enuntiationis diſiunctionem, penitus inſeparabilia ſunt. Quoniā primæ vrinæ in tali febrium genere, vel penitus crudæ, vel obſcurè concoctæ exiſtunt. Magnū verò, atque inſigne indiciū concoctionis in primis vrinis nūquàm exiſtit per huiuſmodi febres, niſi à diariis in has trāſeatur: id qđ paulò antè docuimus. Cæterùm ab his quę diximus indiciis propoſitarum febrium, id quoq; exiſtit, ſi per ipſum acceſsionis vigorē, ſymptoma quoddam ardētis febris extiterit: quemadmodū ſi quod epialę, ac lipyriæ, vel ſemitertianę, vel typhodis, vel alterius talis febris ſymptoma fuerit: quæ propria quidē ſunt generis febriū ex puttredine humorū conſiſtentium, nō tamen inſeparabilia, & ob eam rē, ſi quidē hæc mi-

Frequētia per exteriorē quietē tem.

Vrinæ cruditas aut obſcura concoctio.

† κατὰ τὸ παραδιεζευγμένον ἀξίωμα.

nimè adfuerint, ex aliis indiciũ quærẽdũ: si verò adfuerint, nõ solùm genus taliũ febriũ, sed & species vna aliqua ex ipsis significatur. Quòd si inclinatio minimè desinit ad integritatẽ, siue per sudorẽ, siue etiã aliter fiat, alterum è duobus erit, aut indiciũ quòd transeat in alienã febrem, si superiora omnia diariæ fuerint indicia: sin nullũ ex his fuerit, febrẽ quandã ex humoribus cõsistentẽ statim ab initio pręhẽdisse ostẽditur. Vbi verò pulsus prima die durus exi stat, cõsiderandũ nũ concretio quædam ex frigore, an siccitas, an tensio cõuulsifica in corpore laborantis, an inflãmatio quædã, an scirrhus sit: scientes quòd ex his tãtummodò pulsus durus efficiatur. Nã Archigenis errores circa notionẽ, cognitionemq; duri pulsus, in opere de pulsibus abũdè docuimus, in quo versatus sit oportet, qui ad hæc legenda accedet: ac potissimùm in ea parte quæ de pulsuum dignotione agit. Etenim pulsuum ipsorũ nomina ac significata ab eis omnia, omnẽq; numerũ vno volumine indicauimus: quodquidẽ inscripsimus de differẽtia pulsuũ. Sed quónã modo vnumquenque conueniat dignoscere, alio volumine diximus in quatuor libros distincto, quod inscripsimus De dignotione pulsuũ. Queadmodũ alios deinceps quatuor

Inclinatio nõ desinẽs ad integritatem.

Pulsus prima die durus.

tuor libros de causis pulsuũ effecimus: & itẽ quatuor ab iis dictis de prænotione ex pulsibus: nõ solùm verbis, sed etiam re ipsa indicãtes huius sciẽtię vtilitatem. Et si quis nobiscũ vnà accesit ad ægros horũ librorum speculationem re ipsa ostendentibus, cùm cætera ei persuasa sunt, tum verò etiã illud, nõ esse videlicet durum pulsum aut propriũ talium febrium aut inseparabilẽ. Sed de hoc nunc nõ est dicendi locus: nam prædictis libris diximus, & aliis octo libris quibus expendimus librũ de pulsibus Archigenis, abundè huiusmodi symptomata docuimus: hoc loco quod sit necessarium tantũmodo indicabitur. Pulsus durus, neq; proprius est, neq; inseparabilis cuipiã generi febriũ, neq; diariæ, neq; putridæ, neq; hecticæ. Sed hecticę inest magna ex parte, atque interdum in aliis duobus generibus ob symptoma quoddam existit. In diaria quidem quoties febres affligat ob refrigerationem fortẽ, vel tensio quædã neruosa insit: atq; interdũ efficitur ob æstum fortem, vel lassitudinẽ simul, vel inopiã alimenti, vel vigilias immodicas, vel euacuationem: quoties ob alimenti defectũ hæc quoque constiterint. Per febres autem putridas pulsus quoque durus habetur, quoties in viscere inflammatio fatiget, vel scir

Pulsus durus.

Febris hectica.

Pulsus in diaria durus.

Pulsus in febre putrida durus.

rhus: & ob symptoma aliquod coniunctũ, nempè aut neruosam aliquam tẽsionẽ, aut siccitatẽ, durus quoq; sic pulsus euadit, velut & iis qui intẽpestiuè frigidam biberũt, aut eadem lauerunt: vel † fructus quosdam largiter comederũt. Sed pulsus durus nunquàm efficitur per ipsam febrẽ, qua febris est: neq; per ipsam diariam, neq; per ipsam putridam, neq; enim quoties ex inflammatione febris affligat, eodẽ modo febris ac pulsus durities comitatur: sed febris quidẽ sequitur putredinẽ humorum: durities autem tensionem ex repletione vasorũ. Nam (vt semel dicatur) durities tunicis arteriarũ accedit, vel propter concretionẽ, vel tẽsionem, vel siccitatem. Cõcretionẽ igitur refrigeratio vehemens cõmittit: tensionem verò inflammatio, ac scirrhus, atque etiam neruorum proportionalis inflammationibus dispositio: siccitatem verò euacuationes diutinæ, vel ob alui fluorem, vel læuitatem intestinorum, vel difficultatem intestinorũ, vel vomitum longum, vel aliud istiusmodi, & fames diutina, atque ardẽtes febres diutinæ, & (vt in totũ dicatur) quæcunque vehemẽter exiccant ipsius animalis partes solidas, velut & hecticæ: de quibus nunc dicere fuerit tempestiuũ, ab earum generatione exorsis.

† ἰπώρας.

Duritiei pulsus causa.

Duritiei arteriarũ causa.

Cõcretionis causæ.

Tensionis causæ.

Siccitatis causæ.

Hectica.

Quibus indicijs febris hectica cognoscatur, & quonam modo consumpto admodùm humore cordis dispositio efficiatur, quam Philippus nominat ex morbo senectam. CAPVT X.

FEbris igitur hectica nomine efficitur duobus modis, magna ex parte ob febres ardẽtes, quæ prorogãtur adeò, vt cõsumãt spacio tẽporis humorẽ corporis cordis, vel etiã si adhuc multus permaneat. Illa igitur nõ solũ hectica, sed etiã marasmodes iã existit. Hæc verò quæ manẽte adhuc humore fit, corpus ipsum cordis prehendens, inde maximè accẽditur: quẽadmodũ lucernarũ flãma ex ellychnio. Atq; vna quidem eius generatio est prodita. Reliqua autem est, quoties statim ab initio prehẽdat, primam generationẽ similem habens diariæ ob mœrorem, iram, lassitudinem magnam cũ vstione contractam. Hanc igitur febrem sanare nequaquã difficile est: quæ verò ex eis deuenerit in marasmũ propter inscitiam eorũ qui adhibiti sunt medicorum, eam sanare nõ solùm non facile, sed etiã impossibile est, quoties planè iam cõfirmata fuerit, nec ꝑtereà incipiat. Natura enim eius calida ac sicca existit, ac cor similiter afficitur, vt ellychniũ in lucerna, quoties plurimum crematũ fuerit. Etenim ita exustum friabile fit, atq; dissoluitur, perdi-

Hectica fit duobus modis.

Post ardẽtem febrẽ marcor.

Hectica ab initio prehẽdẽs.

Hectica curabilis.

Analogia.

turq; cõtinuitas præ ariditate: vt neque ſi affundas abundè oleũ, queas rurſus accendere flammam copioſam. Parua enim atq; infirma flammula in ipſo † concutitur, ac ſemper minor efficitur, vſquequo extinguatur. Atq; exactè quidẽ maraſmodes febris huiuſmodi exiſtit, nec eadem eſt cum affectu marcore. Hic enim in iis efficitur qui cõſenuerunt ſine febre, extincto in illis natiuo calore (quæ potiſsimùm mœrore vacua mors eſt, ac ſecundũ naturam ex ſiccitate cõſiſtens) velut & in iis qui emarcent præter naturam, genus illud efficitur, quod Philippus nominat ex morbo ſenectam. In quam multos nouimus non ſenes ſolum, ſed etiam pueros incidiſſe. Febris autem maraſmodes nõ ſolùm ſicca, ſed & calida affectio eſt. Extinguitur autem per eam multò celeriùs calor in animali, atq; tabeſcit totũ corpus inſtar arboris in plenum arefactæ, vel ob tẽporis longitudinẽ, vel flammæ vicinitatem, vel fortẽ atq; immoderatũ ſqualorẽ. Sed de tota marcoris affectione, ſeorſum diximus. Hecticæ autẽ febris, cùm duplex eius genus ſit, vt antè diximus, indicia deinceps explicabimus.

† περισπεί-ρεται aliàs περισπει-ρᾶται di-ſpergitur.

Febris maraſmodes.

Marcor.

Mors ſine mœrore.

Ex morbo ſenecta.

Febris maraſmodes calida eſt & ſicca.

Analogia.

De febre hectica, & quòd diaria ſæpenumerò tranſmeet in hecticam: cuius rei indicia multa exiſtunt. CAP. XI.

FEbris igitur hectica cũ marcore coincidens, promptiſsimè ac facillimè cognoſci poteſt. Priùs enim quàm tãgas pulſum atque calorem, oculos ſupra modũ cauos videbis, quaſi in fouea quadã cõditos, ob totius humidæ eorũ ſubſtantiæ cõſumptionem: ita, vt oſſa quibus palpebræ annexæ ſunt, promineant. Quinetiam lippitudines in eis viſuntur aridę, ac quędã ſqualida diſpoſitio, qualis maximè ineſt eis, qui per puluerem multum tota die in ſole calido fecerũt iter. Flos ipſe prætereà viuidus coloris periit, atq; id toti faciei accidit, & immoderatus ſqualor habetur totius cutis circa faciẽ, maximeq; circa frõtẽ: ita, vt ꝓpter ſiccitatẽ, ſicca atq; intenta ſit, non tamẽ queũt palpebras ipſas multũ attollere, perinde affecti ſemꝑ vt qui dormituriũt. Quinetiã cõniuẽt magna ex parte, quẽadmodũ qui dormitãt. Eſt autẽ talis affectio nequaquã ſomnus, ſed impotẽtia vigilãdi. Carnes prętereà cõſumptę ſunt circa tẽpora, ita vt ea loca collapſa, cauaq; appareãt. Nec quicquã aliud omnino quàm oſſa, ac cutis ſunt: ita, vt ſi eos nudos ꝑſpicias, in vẽtre nullũ supereſſe inteſtinũ, nec vlla viſcera, atq; hypochondria ipſa retracta eſſe ad thoracẽ admodũ videãtur. Quòd ſi libeat illos tangere, cutis quidem perquàm ſicca

Hectica cũ marcore indicia.
Oculi concaui.
Palpebrarũ oſſa prominentia.
Lippitudo arida.
Squalida diſpoſitio.
Color ſine flore viuido.
Frõs ſicca intentaq;.
Affectio ſomno ſimilis.
Impotẽtia vigilãdi.
Tempora collapſa.
Totũ oſſa & cutis.

existit: & vbi attollas apprehēdens digitis, quasi corium quoddā stat. Pulsus autē gracilis, durus, debilis, ac frequēs habetur. Calor autem in primo quidē occursu debilis, sed paulò pòst acer atque erodens apparet: maximeq; vbi tangendo diutius immoreris. Sed minimè cōuenit reliqua indicia cō memorare in re tam perspicua. Itaq; satius est, vt ad ipsum marcorē adhuc incipientē veniamus. Marcor ergo incipit, quoties humor insitus in vnoquoq; corpore dispersus per loca media partium similariū, ex quo mēbra primū alūtur, ferè in ipso corpore cordis nullus amplius inest. Quousq; enim aliquid ipsius seruatur, hectica febris tātūmodo est, nondū tamen marasmodes. Vbi verò ferè nihil insuper huius humoris existit, exquisitus iā marcor cōsistit. Difficilis ergo cuiuslibet hecticæ febris dispositio est, quoties ipsius principij tēpus prçterierit. Definitio autē principiū, non dierū vel horarū numero; queadmodū neq; in cæteris morbis, sed ipsa qualitate dispositiōis, etenim dū corpus ipsum cordis discedit ab ipsa tēperie naturali, nō statim insitus humor perit, neq; facultas debilitatur: sed in primis velut ebullitio q̄dā efficitur ipsius humoris quo tpe talis febris facillimè curatur; quippe q̄ facultas nihil dū perpessa est.

Hypochondria ad thoracem retracta.
Cutis tactu sicca & quasi corium.
Pulsus.
Calor.
Hectica citra marcorem.
Hectica difficilis.
Hecticæ principiū.
Hecticæ generatio.
Humiditatū ebullitio.

est. Deinceps autem consumptio quædã fit ob ebullitionẽ, eaq; ipsa amplius iam procedẽte, ipsa etiã corpora similaria, quæ velut elemẽta cordis existunt, sicciora euadũt minusq́; alimenti sentiũt: ac facultas debilis redditur tantũ, quantũ siccitas ac calidi tas in eo exuperat. E quibus alterũ sufficiẽs erat, vt exuperãs infirmã redderet facultatem. Talis febris iam quodãmodo medio genere ambigit, ac media est insanabilis penitus illius marasmodis, eiusq́; quã paulò antè diximus, adhuc incipiẽtem facillimè posse curari. Atq; in ea perquã multa latitudo existit, quoniam non parua affectionis ipsius permutatio maioris minorisq́; ratione est. Itaq; quoties ab vtraq; febre discedit equaliter, ab exquisita scilicet marasmode, eaq́; quæ nondũ quippiã eiusmodi habet, media quodãmodo est, & ad curationẽ ambiguum habens vtroq; versus momentum. Quæ autẽ marasmodi propior est, iã periculo propinquat: quẽadmodum priori alteri propinquior, spem obtinet nõ paruã sanitatis. Sed tempus est vt ad earum indicia trãseamus: & primùm quidem illius quam posse facilè curari docuimus, nisi in vulgarẽ quempiã medicũ incidat. Est autem, vbi sola consistit, nequàquã difficilis cognitu: implexa autẽ cuipiam putridæ, depræhẽsu

Humidi consumptio. *Similariũ exarsio.* *Hectica media.* *Marcor incurabilis.* *Ambigẽs.* *Propior periculo.* *Spei propior.* *Hectica incipiens sola.* *Putridæ implexa.*

su difficilis iã existit ob permixtionẽ. Sed primã subiiciamus ipsam solam ex quadã causa prædicta consistere, atque appareãt in ea prima die cũcta indicia febris diariæ. Simul igitur cũ eis apparebit statim causæ prægressæ genus, atq; id indicabitur procedente oratione. Sed interrogãdo ægrotũ ipsum licebit discas, si aliis in rebus non malè affectus, ex ira forti tãtummodò, vel mœrore, febricitare incepit. Quod si videãtur hæc ita se habere, febrisq; extendatur vsque in secũdum diem, nequaquàm desinens ad integritatem: sed neque vehementior euadẽs, si squalidior quidem appareat, suspicari hecticam fore talẽ debes. Quòd si tertio die sine cibo trãsmittere voluerit suspectas horas accessiõis, quæ tertio quoque die præhendere solet, ac neq; additio vlla facta sit, neq; minutio insignis, sed primæ febris paruę reliquię extendãtur, permaneantq; cũ squalido corpore & calore: miti quidẽ in primo occursu manus apparente, morãti autem diutius acri, mordaci & squalido occurrẽte, talem febrem hecticã esse existimare debes. At verò maximũ tibi atq; certissimũ indicium erit naturæ eius nutrito homine, quãdo certissimè videtur trãsiuisse omnes horas suspectas. Statim enim à cibo post vnã horam vel alte-

Puræ hecticæ indicia.
Causa prægressa.
Febris vt ephemera in secundũ diẽ extẽta
Sine integritate.
Calor nihilo vehemẽtior.
Scaliditas.
Tertio die inedia.
Non insignis mutatio.
Febris parue reliquiæ.
Calor I. occursu mi

ram

ram, omnibus tangẽtibus ægrum: alterum incrementũ febris ipsa habuisse videbitur. Nec deerit qui increpet tanquam intempestiuè dantes cibum, & ipso potissimum tẽpore accessionis, & dicat diutius fuisse expectandum, & tardasse accessionẽ. Sed res nõ ita se habet. Cuilibet enim hecticæ febri proprium inseparabile id est, vt ingesto cibo calor accendatur, pulsusq; in magnitudinẽ ac velocitatẽ increscat: ita vt †equalis esse accessio videatur. †Aequalem autẽ accessionẽ voco, in qua nec horror extitit, nec frigus extremorum, neq; somnus: neque pigritia insignis, vel inæqualitas quædam penitus, vel in calore, vel in pulsu, imò nec etiã paruitas, neq; debilitas, neq; aliud huiusmodi quicquam, sed tanquã alii cuipiã nutrito pulsus maior statim ac velocior redditur. Accidit autem interdũ & in aliis quibusdam febribus incremẽtum †æquale &, quod quidem ex ipso est, videbitur minimè esse hecticæ febris symptoma proprium inseparabile. Sed non parum differt si ad vniuersam dictorũ indiciorũ collectionẽ respexeris. In omnibus enim aliis febribus tales accessiones æquales existunt, etiã citra alimẽtũ ingestum. In hectica autem penitus contrariũ euenit, nullo enim tẽpore accessio præhendit, sed vna cõtinua febris

tis, diutius immorãti mordax.

Ingesto cibo post horam calor & velut æqualis accessio.

†ἄθλιπτ@.

†ἄθλιπτον.

Aequalis accessio quid.

Aequalis accessionis discrimina.

†ἄθλιπτον.

Hecticæ et continuæ differẽtia.

bris est, velut ea quæ synochos, id est conti
nua propriè nominatur. Sed hæc quidem
quasi flammã quandam permultam occur
rẽtem habet imponentibus manũ: præter-
eà pulsus quoq; velocissimus, frequentis-
simus, maximusq; ei existit. in febre autem
hectica, neq; caloris multitudo occurrit,
ac pulsus tantò minor, rarior tardiorque
est, quàm in synocho, id est continua, quã-
tò calor ipse minor habetur.

Hecticarũ febriũ cõmunia.

De indicÿs communibus cuique hecticæ febri, & quam ob causam post ingestum cibũ calorem ipsum augeri contingat. CAP. XII.

Exiguitas æqualitas à primo initio. *Siccitas cui sit propria.*

Commune igitur cuiusuis hecticæ fe-
bris est, vt exigua sit atque æqualis
semper à primo initio vsq; ad vltimum fi-
nem. Proprium autẽ eius quæ tabi affinis
existit, siccitas est: quoniam hectica febris
sæpenumerò sine siccitate consistit, nequa-
quam transiens in marcorem, qualis etiam
nunc multis in magna †penuria cõtigit: fe-
bris igitur hectica dissidet à synocho, id
est continua: quemadmodum dictum iam
est. Ab aliis autem habentibus accessiones
†æquales, eo ipso maximè dissidet, quòd
†inæqualitatem quandam illæ omnino ha
beant post alimentũ sub ipsam accessionis
præhẽsionem: hecticæ autem post alimen-
tum velut accessio quædam æqualis con-
tingat:

†λοιμῷ. *†ἀθλί-πτους.* *†θλίψιν.*

Hecticæ ab aliis habentibus æqualẽ accessionem.

tingat:quæ(vt paulò antè docui)minimè accessio habetur,sed imperitos circa talia decipit ob caloris,tũ multitudinẽ,tum magnitudinẽ velocitatemq; pulsus. Talis autẽ febris sequẽti die planius cognoscetur,si diligẽtius obseruaris, quandiu permaneat post cibum ipsa pulsus calorisq; alteratio. Inuenies enim tandiu permanere omniũ quæ manifestè apparẽt alterationẽ, donec distributio alimenti, atq; adiectio squalorem cordis humefaciat: deinde rursus ad pristinum redire statũ,qui erat antequàm sumeret alimentum. Si igitur alio tẽpore nutrias ipsum sequenti die,rursusq; alio tẽpore sequenti die,inuenies ita fieri vt dixi augeri quidem calorem post cibum pulsumq; ipsum,vt dictum est, alterari. Cõstat enim illis id accidere,quod calci ac lapidi calefacto. Si enim eis affundas frigidissimam aquã multò calidiores sentiuntur,tãquam calor squalidus in eis ab humida substantia nutriatur. Quæ autem causa sit ob quam ita eueniat,quæstio naturalis existit; sed quod ita efficiatur,cuiuis tentare volẽti discere licet. Vbi enim manibus sumas glebulã calcis,cõtemnes eius caliditatẽ,ac minimè senties. Vbi verò deponens ipsam humi,affundas illi aquam, perspicies statim admodum calefieri,atq; adeò feruere

Hectica non habet accessionẽ,sed alterationem huic similem.

Alterationis mora.

Analogia.

vt

vt lebetes, quoties in multa flãma versentur. Videbis pręterea vaporẽ ab ea haud exiguum efferri, quòd si audeas tãgere, facilè deureris. Ad hũc igitur modũ ad ipsum sensum humidus calor nõ paulò habet vim eui dẽtiorẽ quã siccus. Cæterùm quòd calor siccus existat per hecticã febrem cui succedit marcor, hinc discas licebit. Nemo statim ab initio præhẽsus est tali febre: qui corporis habitũ habuerit humidũ: sed qui siccior natura existit, maximeq́; vbi calidus quoq; natura sit, & qui vitã delegit in labore, vigiliis, cura, ac victu tenui, is assolet statim ab initio pręhẽdi hectica febre ex ira, ac mœrore: ac multò magis, quoties estas & cõstitutio calida ac sicca, locusq́; eiusmodi fuerit. Principiũ autẽ eius terminatur, quoties eo tẽpore quo diaria per inclinationẽ mitiorẽ deducitur ad integritatẽ, adeò nihil eiusmodi ipsi accidit, vt siccitas perspicuè intẽdatur: tũc enim primũ succedẽs diarię hectica iã efficitur. Definitur præterea aliter eius incremẽtũ atq; perfecta generatio per accessionẽ tertię diei. Si enim (vt paulò antè diximus) eo die alia accessio minimè præhẽdat, neq; æger sine febre existat, sed siccitas ipsi cõstanter intẽdatur, talis febris haud dubiè iã hectica est, ac processu tẽporis marasmodes sine mora euadet, nisi rectè

Humidus calor magis sentitur.

Siccitatis hecticæ marasmodis argumenta.

Hecticæ tabificæ obnoxia.

Principiũ hecticæ.

Hecticæ perfectæ nota.

curetur. Definitur autẽ arbitio eius in tabẽ cũ primũ pulsus debilis simul ac durus est, continuoq; paruus ac frequẽs is necessariò est, nõ tamẽ propterea marasmodes existit, sed proter debilitatẽ ac duritiem. At verò debilitas accidit ob fortem cordis intẽperiem: durities autẽ, ob siccitatẽ: quòd si tales affectus præhẽdãt cor ipsum, marasmo de febre detineri animal tũc necesse est. In eandem prætereà febrem incidũt ex acuta atq; ardenti pleriq; eorum qui malè curãtur: maximeq; quicũq; vbi frigidam aquã bibere postularent adeò nihil eiusmodi biberunt, vt nec vllum aliud infrigidãs remedium thoraci atq; hypochondriis adhibuerint. Quòd si adeò nihil eiusmodi adhibuerunt, vt insuper cataplasmatis ex melle plurimũ vsi sint, quæ nũc frequẽti in vsu sunt amplius in marcorem incurrere his promptum est, siue solùm febricitẽt, siue ex iecoris aut vẽtris inflãmatione. Maximè enim his inflãmationibus haud rectè curatis succedit marcor: ita, vt quidã existimarint nõ aliter posse fieri huiusmodi affectionem, nequaquam scientes, quod neutrum horum, nec aliud quodquã viscus, aut membrum, neq; marcorem, neq; penitus hecticam vllam febrem cõmittat, priusquàm (vt diximus) cor ipsum afficiatur. Talis igitur

Abitionis hecticæ in marcorem nota.

Pulsus duri & debilis causa.

Febris ardẽtis in hecticã abitionis causa.

Viscerum inflammationes.

Hecticæ occasiones.

affectio ei incipit,interdũ ex seipso, vt ex ira ac mœrore forti,& longo:interdum ex febre ardenti:quãdoq; verò ex affectibus pulmonis,ac thoracis,maximeq; †purulẽtis ac†tabidis. Vt autem ex his, ita accidit ex vẽtre ac iecinore:& vt summatim dicatur quauis diutina inflãmatione in parte principe simul cũ siccitate totius animalis,maximeq; cordis. Ego nanq; vidi inflammationi laxioris intestini diutinæ succedere marcorem,ac stomachi,ac vesicæ,ac renũ, fuerunt autẽ nonnulli qui affecti erant difficultate intestinorum tali febre correpti, quũ scilicet laborassent inflãmatione intestinorum. Atq; etiã leuitates intestinorum,& fluores intestinorum diutinos,quoties statim ab initio,aut tempore procedẽte febris exigua incidit,marcor ipse subsequitur,vt in summa dicatur, quoties præexiccatum cordis ipsius corpus febrilem calorem susceperit †solutu difficilem.

†ἐμπυή-μασι. †φθόαις. †δυσλύτως.

Maximum indicium esse febris hecticæ, quoties arteriæ ipsæ sint calidiores, quàm corpora quæ circiter sunt, & quòd non oporteat solum circuitionem sed ipsum febrium genus considerare.

CAPVT XIII.

Arteriæ alijs partibus calidiores.

MAximum itaq; signum febris hecticæ est,quoties arteriæ ipsæ sentiũtur calidiores quàm corpora,quę circiter sunt: quod

quod per alias febres illis minimè accidit. Fit autem symptoma adhuc euidẽtius vbi laueris, aut alio quouis modo rarefeceris, ita vt humor quidam profluat, atque calor ipse perspiret. Calor enim moderatus in aliis partibus omnibus post talem perspirationem apparet: in ipsis autẽ arteriis nequaquã minor est priore. Is verò quàm maximè exquisitè sentitur per pulsuũ diastolas, qui minimè mutatur post dictam expirationẽ: sed similis penitus permanet. Sola ergo cõsistens hectica febris perspicua est, siue absoluto sermone hectica, siue etiam marasmodes sit. Vbi verò cùm alia quapiã fuerit, difficilius iam cognoscitur: quemadmodum quæ nuper mulieri cuipiam accidit, cui non solùm die, sed etiã nocte nõ obscurè fiebat accesßio. Latuit enim marasmodes febris omne, qui eã visitabant Medicos, existimãtes oportere, neque principiũ præhensionis sensibile esse hecticæ febri, neq; incrementum, neque vigorem tãquam minimè contingat hecticam febrẽ putridæ alicui posse implicari: sed nobis statim primis diebus in hac muliere cognita est. Vtraque enim † accesßio quæ die ac nocte fiebat, breues efficiebat partes accesßionis, ac sæpè cum madore quodã, aut perspiratione vaporosa soluebatur tã per-

Hectica febris putridæ implexa.

† ἐπακμασία.

ſpicuè, vt corpus ipſum benè temperatum tangentibus ſentiretur. Indicia autem in arteriis paulò antè dicta ſemper extiterũt, nequaquã refrigeratis ipſis ſimiliter aliis partibus, neque velocitatem aut frequentiam motus amittentibus. Quæ ergo alio loco ſæpe numerò docuimus, etiam nunc dicimus: non oportere ſolùm circuitiones, atque proportiones acceſsionum conſiderare, ſed multò prius ipſam ſpeciem febris: ex eáq; cognoſcere ipſam febrẽ, quẽadmodũ ipſum hominẽ ex propria forma. Sic ipſi ſępe prima die ad hunc modũ ſpeciẽ febris cognouimus, minimè expectãtes tertianã aut quartanam, aut quotidianã circuitionem. Sed de his ſecundo libro de iudiciis latius docuimus, atque eo ipſo libro nihilominus diximus quomodo oporteat diariæ febris cognoſcere differentias. Promiſerã autem (ſcio) me dicturum hoc loco de illis. Sed cum recordarer pauca in eo libro deſiderari, quo in plenũ de omnibus præceptũ eſſet alia quidẽ huc tranſcribere ſuperuacuũ duxi: adiiciã verò ea tantũmodò quæ intra modum ſunt in eo prodita.

Quibus indicijs febres diariæ à ſe inuicem diſcrepent: quoniã interdum propter æſtum quandoque ex frigore ipſo febris diaria conſiſtit.

CAPVT XIIII.

Fe

Ephemeræ propter æstū nota.

FEbricitantibus igitur propter æstum, cutis magis ad habitū calidiorem & squalidiorem, quàm pulsus ad febrilē dispositionem mutatur: quocirca sitis minus hos infestat, quàm vbi æqualē habent caliditatem.

Sitis.

Ephemeræ propter adstrictionē nota.

Ac primo occursu manus, calor in ipsis vigere videtur, contrà quàm in ægrotātibus propter adstrictionem, in his enim increscit. Caput prætereà peruri maximè videtur, iis qui propter æstum febricitant. Gaudentq; magis, & iuuātur frigidis fomentis, atq; ipsorum oculi calidiores, & rubicundiores videntur, cū siccitate, antequàm sine grauedine & defluxione febricitāt. Quibusdam enim propter æstū talia accidunt, caputq; ipsis redditur non solùm calidū, sed etiā plenū sanguine: ita vt omnes venæ admodum contendantur, quæ circa oculos, & tempora, & frontem, & faciem totam habentur. Quòd autem pleni sunt, nō minimum indiciū est, vnde discernātur ab iis, qui ex humorum refrigerio febricitant.

Grauedo in febre et defluxio.

Hi enim vbi caput malè afficitur, promptè præhenduntur grauedine, & defluxione, & febris ipsa interdum symptoma est solius in capite dispositionis. Sed magna ex parte tunc magis febricitant, quum corpus totū refrigeratum est, vel exustum. At verò cutis minus

Capitis grauedo ob æstum frequens.

calida refrigeratis, atque in tumore maiori corpus existit, nec quisquam squalor circa faciem, qualis propter æstum febricitantibus euenit sine capitis repletione. Sed magna ex parte caput solet talibus repleri ab æstu, nisi quis fuerit admodum purus, ac sine excrementis: iis enim tantummodo contingit calescens caput sine repletione permanere. Veruntamen interdum sine repletione multus calor præhendit ipsum totum exustum. Hęc igitur affectio perspicuè dissidet ab ea, quã frigus excitauit. At quæ cum repletione est, difficilè distinguitur: vtpotè defluxionem inferẽs, ac grauedinem, quæ etiã refrigeratis accidũt sed (vt diximus) squalor & magnus calor cutis, & quęcunq; alia paulò antè dixi, propria vstorum existũt: de quibus in plenum libro de curãdi via & ratione dicetur, cum aliis omnibus diariæ febris differẽtiis: quarum dignotiones quia secundo libro de iudiciis perstrinximus, nõ etiam hoc loco dicendæ sunt, sed hunc quidem librum hîc finiemus, deinceps verò febrium ex humoribus accensarum omnes differentias indicabimus.

Ephemera ob æstum & frigus differentia.


PRIMI LIBRI FINIS.

GALE. PERGAMENI DE DIFFERENTIIS FEBRIUM,

LIBER SECVNDVS:

Interprete Laurentio Laurentiano Florentino.

De differẽtijs febrium ex humorum putredine infestantiũ: vbi refellit opinionẽ ponentiũ omnem febrẽ putridã fieri ex abũdãtia bilis. CAP. I.



EQVITVR, vt de differentia febriũ ex humorũ putredine infestantiũ differamus: id priùs de eis admonẽtes, minimè sufficere (vt quidã voluerunt) ad generationẽ febriũ augeri atq; exuperare humorẽ biliosum, quẽ alii pallidam, nõnulli flauã nominant bilẽ. Omnes enim arquati maxima sic afficerentur febre, qbus copia talis bilis in toto corpore cõtinet̃: sed haudquaquã febricitãt priùs, quàm alia q̃dã causa cõcurrat, de qua paulò pòst aget̃. At verò absurdũ est in quartana, & quotidiana febre exquisita colligi amarã bilẽ existimare, quẽadmodũ in tertiana atq; causo. Etenim contra quã in illis

Nõ omnis biliosus morbus est febris.

Arquati.

Quartana febris.

in quotidiana,& quartana febre,neq; vomitus biliosus,neq; sudor,neq; vrina,neq; deiectiones videtur biliosæ:præterea nec quicquam aliud quod præcesſit, aut simul adest eis,subscribit. Febris enim tertiana parte plurima cōsistit in corpore naturâ biliosо,& in ætate vigoris,quæ est omnium ætatum maximè biliosa,& æstiuo tēpore maximè quo talis humor exuperat.Itidem in regione calida & sicca tēperamento & conditione ambientis aëris tali,& vita nō otiosa,ac desidi plurimum, sed in labore, cura,vigiliis,æstu,& victu parco,eoq; calido & sicco. Quin & immoderatus vsus medicamentorū calefacientiū & exiccantium cōmittit febrē tertianā.Quotidiana verò econtrario penitus efficitur in natura pituitosiore,ac tēpore hyberno,& conditione frigida & humida,senibus & pueris potiùs,in regione frigida & humida,& vita otiosa simul cū repletione,maximeq; quoties post cibū lauantur:ac multò magis,vbi ipse cibus pituitosior naturâ existit.Sed neq; vomunt tales biliosum humorem,neq; deiiciunt,†neq; sudāt,queādmodum in tertiana febre.Hæc enim ex flaua bile putrescente fieri solet:quotidiana verò pituitosum humorem subsequitur,quomodo quartana melancholicū.Sic nanque

Febris tertiana quibus accidit.

Febris quotidiana quibus accidit.

† οὐδὲ οὐροῦσιν in quibusdā codicibus.

Febris tertiana,quotidianæ, & quartanæ materia.

natura corporis magis melancholica, & ætas inclinãs, & autumni tempus, necnon omnia his proportionalia in cibo potuq́; & toto victu, frigida & sicca tẽperamẽto, febrẽ gignũt quartanã. Et ob eã rẽ præcedẽs eas rigor nequaquàm similis est, sed in tertiana quasi pungẽs ac vulnerãs sensum, efficiẽtẽ causam indicat: in quartana autẽ quasi refrigerans. Sed de forma rigoris libro de causis symptomatũ diffinitũ abũdè iã est, vbi etiã de eiusdẽ generis febriũ differentia est proditũ: nẽpe ex eis intermittẽtes (ita appello eas, quæ ad integritatẽ sensibilem desinunt) ex humore moto ac in omnem corporis partẽ delato efficiẽte febrem cõsistere: synochos verò ex condito & contento in venis, de quarum cognitione secundo libro de iudiciis docuimus.

Febris quartana quibus accidit.

Rigoris tertianæ & quartanæ discrimen.

Febriũ intermittentiũ & cõtinuarum discrimen

Febrium intermittentiũ tres haberi differentias: quotidianã, tertianã, & quartanã, atq; esse synochon, id est, cõtinuã, quã flaua bilis cõmittat.

CAP. II.

FEbriũ igitur intermittẽtiũ omnes differentiæ tres existunt quotidiana, tertiana, & quartana, ex pituita putri: quotidiana, ex vtraq; bile, flaua quidẽ, tertiana: atra autẽ, quartana efficitur. Cõtinuarum verò quæ ex flaua bile consistunt, duplex genus est: vnũ quidẽ earũ quæ synochi, id

Febriũ intermittentium species et differentiæ.

Continua ex flaua bile duplex synocha & cõtinua. Continua est, cõtinentes appellãtur, quatũ omne tẽpus vna accessio est ab initio vsq; ad finẽ: Alterum, earũ quæ cõmuni sed ambiguo genere continuæ dicuntur, & multis particularibus circuitionibus cõtinentur. Cæterùm synochon differentiæ omnino tres

Continuarũ febriũ differentiæ. existunt. Quædã enim earũ ab initio vsq; ad finem æqualis persistit, quædam paulatim crescit, quædã paulatim decrescit. Ac nonnulli primã nominant homotonũ, &

Homotonos. acmasticam, id est, æqualiter affligentẽ ac vigentẽ: alterã anabaticam & epacmasti-

Epacmastica. cam, id est, ascẽdentẽ atq; increscentẽ: tertiam verò paracmasticam, id est, inclinan-

Paracmastica. tem appellant. Synechωn porrò duæ differentiæ primę existũt. Nã aliæ tertiò quoq; die tantummodò habẽt accessionem, aliæ die intermedio alterã inferunt accessio-

Tertianæ cõtinuæ finitima. nem. Atq; hæ nullũ nomen peculiare obtinent. Febrem autẽ tertio quoq; die accẽdentẽ, ego quidẽ nomino tertianæ finitimam: non tamen prohibeo, si libeat, aliter appellare, modò serues in rebus ipsis differentiã. Alia enim est natura, quoties desinunt ad integritatẽ, alia quoties ad inclinationem febrilẽ finiuntur, febres continuæ alternis diebus accessionẽ habẽtes. Et ad hæc vbi in medio altera fuerit accessio, natura quædam diuersa est: sed nullam ex

his

his semitertianã appello,nõ tamen prohibeo ita nominare volentes,si id vnũ mihi caueatur ab eis, vt nullum febris genus omittatur,sed vnũ quodq; deinceps dicatur queẽadmodũ ergo nũc in hoc libro facere institui. Ex continuis enim quæ in die medio accedũt,quædã in forma quotidianæ procedit,duas accessiones simillimas inuicẽ efficiens:quædã verò dissimiles habẽs duas accessiones primæ quidem tertiã simillimã obtinet,secũdæ verò quar tam,in forma duarũ tertianarii procedẽs: sed hæc ex bile potius: illa singulis diebus similiter accedẽs,ex pituitoso humore cõsistit. Porrò tertiũ aliud genus est febrium continuarũ raro eueniẽs,quoties accessio in forma quartanæ circuitionis procedit, nequaquàm desinens ad integritatẽ. Accidit autẽ,queẽadmodũ febris tertio quoque die accedens,interdũ duplex ac triplex:ita etiã hæc non solũ duplex,sed etiã triplex. Sed hi febriũ implexus libro de typis commodius indicãtur. Febriũ autẽ simplicium ex humoribus infestantiũ† simplices differentię tot numero sunt,quot proximè docuimus. Ex earum autẽ permixtione aliæ quædã efficiuntur,de quibus deinceps dicã,si priùs de simplicibus quod deest,adiecero: vt quæcunq; fuerit omnino simplex feb

Semitertiana.

Continua in forma quotidianæ habens accessionẽ mediam.

Continua in forma tertianæ.

Trium febrium implexus.

†σύμπτωσαι.

Febres simplices compositarum sunt regula.

febris vnā speciem quasi regulam quandā obtineat earū, quas proximè indicabimus. Quæcūq; verò degenerat aliquatenus, eatenus ab ipsis febribus simplicib⁹ abscedit.

Febris ex flaua bile indicium.

Quonam modo ex flaua bile delata in vniuersum corpus rigor existat: & vt ipsius tertianæ accessio, quod longissimum sit, horas duodecim occupet. CAP. III.

Horæ æquinoctialis. 15. gradibus designatur vt distinguat ab inæqualibus et planetariis solstitialibus æstiuis brumalibus seu hybernis.

Febris igitur excitata ex flaua bile delata per corpora sentientia, præhēdit cum rigore, atq; causodes est: & vomitu bilis, vel deiectione, vel sudore, vel quibusdam horū, vel omnibus simul soluitur. Huius febris longitudo accessionis quæ maxima sit, horarū est ęquinoctialiū duodecim: atq; appellamus eam exquisitā tertianā, ex tēperamento ægri bilioso, ac tēpore, & regione & conditione, & victu calido & sicco effectā. Sed omnia alia pauld antè docuimus, quæcunque cōducunt ad eius generationē. Atq; accessio breuior est magna ex parte, quàm quæ anteà dicta est longitudo, perquàm multā maioris ac minoris obtinens differētiā: vel propter quātitatem & qualitatē ipsius bilis, vel propter ægri vires, vel propter præsentem tunc in ægro corpore dispositionē. Bilis enim copiosior, longiorē quàm paucior efficit accessionem: tenuis breuiorem quàm crassa.

Accessionum tertianæ differentiæ.

Sic

Sic verò & vires validiores,breuiorẽ:imbecilliores,longiorẽ. Et corporis diſpoſitio rara quidẽ,breuiorem:denſa verò longiorẽ. At verò tẽpus intermiſsionis in tali febre,ex pulſu indiciũ putredinis humoris penitus†obſcurum habet,ſequẽti die ac nocte poſt acceſsionem.Leuiter autẽ ſuccenſa ægrè cognoſci poteſt primis partibus poſterioris diei:ſed adhuc clarius circa fines eiuſdem diei aut noctis:atque adhuc clarius proxima die vel nocte,quæ præcedit ſcilicet diem aut noctẽ acceſsionis.Sanè in ea ipſa perſpicuum iam eſt indiciũ: multoq; magis,quoties acceſsio prędẽdat: ac multò magis,vbi aſcendat ad ipſum cõſiſtendi vigorem.In eo verò†minus quàm per incrementũ,rurſusq; multò minus per inclinationem.Hanc febrẽ ſi libeat nominare exquiſitã tertianã,nomine vteris antiquo, ſint minùs at certè nobis dabis ita nominare gratiã perſpicuitatis doctrinæ.

Intermiſſionis tempus.

†ἀδιάγνωστον.

†Vide,nũ magis ſit legẽdum.

Pituitam refrigerare partes extremas per initia acceßionum,difficulterq; accendi calorem minimè purum.ſed ſimilem fumo quaſi viridioribus accenſis lignis. CAP. IIII.

Alia porrò eſt ſimplex ac exquiſita febris ex pituita putri,quæ per mẽbra ſentientia pellitur ab ipſa natura, conſiſtens.Ea incipit ex frigore partium extremar

Pituitoſa. ſimplex.

Initiū pituitosæ simplicis. marum atq; horrore potius,quàm rigore: difficulter accenditur, longumq; obtinet incrementū ad ipsum cōsistendi vigorem:
quoniā humor ipse ex quo consistit,frigidus atque humidus est temperamento, ac glutinosus cōsistentia.Itaq; difficulter accenditur,ac tardè mouetur sæpè in ipsis meatibus hærens.Ac premit quidē interdum grauatq; vires.Inæqualem autem ac
Pulsus. dum grauatq; vires.Inæqualem autem ac
Biliosæ et pituitosæ discrimen inter initia. magis debilē efficit paruumq; pulsum in principio ac primo incremento.Per febrē verò biliosam existit inter initia accessionum vnaquęq; affectio ex dictis circa pulsum:sed ab illa quidē citò abeunt,tū alia, tum etiā inæqualitas,quæ magna ex parte nec cum talibus febribus accedit,nec tales febres comitatur.Calor autem ipse nō multò postquàm destitit rigor,accenditur luculentus,quemadmodū ignis quidā planè purus,in quo nulla fumosa caligo in-
Analogia. uehitur. Calorem verò pituitosi humoris asimilabis igni fumoso lignorum viridiū
Accesio pituitosæ. accensorū.Euacuationes igitur in eo paucæ existunt,ac longitudo accesionis diuturnior:& tempus intermisionis nō æquè ac primùm purum est,sed semper seruans in calore & pulsu, putredinis humoris indicium.At verò & in hac febre circa principia,atq; incrementa accesionum indicium

cium putredinis est manifestissimũ. Attamen & hæc vbi exquisita fuerit, videtur multis habere purã intermissionem: & nos ipsi ita etiam nõ rarò dicimus, quoties importuna sermonis curiositas videtur. Accidit autem naturæ corporis, tẽpori, regioni, tempestati, studio, victui, & aliis omnibus pituitosis. Accedit verò singulis diebus, quanuis minùs calida sit quàm biliosa, quæ tertio quoq; die fatigat. Sed cõstat hanc quidẽ (quoniam & humorem habet accensu facilem, & promptè semper ob tenuitatem quicquid eius feruefactũ est per accessionem, expurgatur) ad integritatem quandã magis puram desinere, & exiguũ post accessionem vestigiũ putridi caloris relinquere; eam verò quæ ex pituita consistit, nec integrè purgari per inclinationes accessionum, nec exiguũ, quod velut succendatur, relinquere. Inde ergo efficitur & intermissio multò deterior, & secundæ accessionis maturius principium.

Intermissio pituitosæ.

Humor in cessioni propensus.

Accessionis ad integritatẽ desinentis causa.

Intermissio deterior.

De quartana quæ ex atra bile cõsistit, & quonã modo fieri posit, vt rigor sine febre efficiatur.

CAP. VI.

Quartanæ exquisitæ causa, & intermissio.

AC verò tertiũ genus intermittentiũ febrium, quartana scilicet exquisita quoties ex humore melãcholico solo efficitur frigido siccoq;, tẽperie paulatim quidem

dem succenditur: quemadmodũ lapis quidam, vel testa, vel os, vel aliud quodpiam sic frigidum & siccum corpus. Vbi verò flamma quædã ex eo accensa est, nihil relinquit fumosum, neque semiustum post accessionem: & ob eam rem euacuationes plures ex tali humore quàm pituitoso, & intermissio planè pura esse videtur, eo quòd hîc omne id humoris melancholici quod est accensum, euacuatur atq; discutitur. Et ob eam rẽ accidit illis rigor qualis potissimùm in forti frigore refrigeratis: non qualis interdum existit per æstum vel lassitudinem, vel medicamentum calidum, ac mordax vlceri adhibitum. Cæterùm necesse est hanc febrem antecessisse quicquid colligit atram bilem, ex vitæ genere, victu, cœli statu, tempore, regione, natura & ætate ægri melancholica. Accessio præterea huius febris longitudine temporis, tertianæ similis est: atque interdum accidit, vt sit longior, quanuis exquisita sit, quoniam ex humore frigidiore cõsistit. Causa autem similis est in his febribus & aliis omnibus quæ differentiã longitudinis efficit accessionũ, quemadmodum paulò antè diximus in exquisita tertiana: in multitudine & qualitate humoris, & robore & infirmitate virium, & ad hæc

Quartanarum rigor.

Quartanæ obnoxij.

Quartanæ accessio.

In accessione longitudinis causæ.

hæc ipſa ægri diſpoſitione differentiã habente. Nam & alia omnia proportione reſpondent iis quæ ex humore bilioſo conſiſtunt. Quocirca ſi humor melancholicus neque putreſcat, neque vehemẽter feratur per corpora ſentientia, nequaquàm efficit melancholicam circuitionem exquiſitam. Sanè arquatis affectibus proportione reſpõdent ex liene morbi diutini melancholici, corporisq; totius colores fœdi. Et eryſipelatibus ac herpetibus qui ex flaua bile cõſiſtunt, cancri & phagedęnæ proportione reſpondent. Sed neq; ex his neq; ex melancholicis affectibus neceſſariò febricitant, niſi priùs humor melancholicus & bilioſus putreſcant. Natura enim ſemper nititur, ſuis viribus vtẽs, aſsimilare partibus nutriẽdis quicquid fieri vtile poteſt: excernere autẽ id quod minimè iſtiuſmodi eſt. Quòd ſi interdum præ craſsitie, vel copia, vel lentore excremẽti, vel ſtipatione quadã meatuũ, vel ſua ipſius debilitate nequaquàm poſsit excernere humorẽ vniuerſum prauum, immorantẽ diutiùs in ipſo corpore animalis putreſcere neceſſe eſt. Nullus enim alius humor pmanere qualis extitit ab initio, poteſt, nedũ qui adeò vitioſus eſt vt ab ipſa natura cultum amplius ſuſcipere nõ poſsit: ſed aut cõcoctus apponitur atq;

Arquati atrabilares.
Serpentia.
Ignis ſacer.
Comeſa.
Modus putreſactionis.

asſimilatur ſolidis animalis partibus, aut corrumpitur atq; putreſcit. Ad hũc modũ arquatis ac melancholicis affectibus, quoties humor bilioſus exuperans in corpore diutiùs immoratur, febris ſuperuenit. Sæpè etiam diſpoſitio in iecore & in ſplene attulit febrem, quoties aut inflammatio aliqua, aut obſtructio cõmittit prædictos affectus. Pari ratione nec vbi pituitoſus humor exuperat, febris ſequitur, niſi putreſcat priùs. Atq; ob hunc quidem, quod ab antiquis exiſtimatum eſt eſſe impoſsibile, ſæpenumerò viſum eſt: id autem eſt ſine febre rigor, qui nonnullis quidem ſemel accidit, nonnullis autem etiam per circuitum pluribus diebus, vel continuuſ ab initio vſque ad finem, vel omnino ita mediocris, vt nequaquàm eſſe videatur, quoties quieuerint, ſed vbi moueantur tantũmodò efficiat ſenſum: vel etiã maior, vt etiam ſine motu infeſtet. Sed quoties talis humor ſpatio temporis putreſcat, nõ rigẽt ſolùm: ſed etiam febricitant. Et diuturna admodùm & ſolutu difficilis febris in quotidianæ forma tales affectus ſequitur.

Arquatis ſuperuenit febris.

Rigoris circuitus.

Febris ſolutu difficilis.

De febre epiala qua ſimul febricitant ac rigent, ac de humore quem Praxagoras vitreum appellauit, & quótnam pituitæ genera ſint.

CAP. VI.

Ho

HOc genere continetur febris epiala propriè nominata, quoties simul febricitant ac rigent: & vtrunq; sentiunt, eodem tempore in quauis corporis parte. Sanè Archigenes existimat de nulla altera nomen epialon dici, quã de vna hac febri. Sed constat Atticos quosdam viros rigorẽ ante febrẽ ita appellare. Enimuerò Praxagoras videtur mihi appellare vitreum, humorem talem. Recẽtiores autem, è quibus Philippus est, crudum simpliciter, nullum adiicientes vocabulum ad exquisitã definitionẽ. Is profectò ex specie pituitosi humoris est: vt qui admodùm frigidus atque †humidus sit. Quisquis enim humor frigidus simul & humidus fuerit, sub ipsã phlegmatis, id est, pituitę cadit appellationem, si quis Hippocraticè & ex omniũ cõsuetudine nõ solùm veterũ, sed etiam aliorũ scriptorũ nominare voluerit. Prodicus enim libro de natura hominis prauè nominat, errãs circa tale vocabulum ipsa demirãda etymologiâ adductus. Sed nõ est præsentis temporis ad talia deflectere orationẽ, cum aliã dicarimus illis disputationẽ. Ergo rursus ad institutũ veniamus. Quisquis in corpore humor fuerit frigidus & hũidus, ipsi hũc noĩamus pituitã: tu si libet appellabis scindapsum. Adeò sanè nulla mihi vocabu

Epialæ causa.

†γλισχρὸς i. lentus.

Pituita quid.

lorũ est cura. At verò scias huius humoris plures esse differẽtias. Nam vna quidẽ species eius est admodũ frigida: ita vt maximos dolores adferat, quũ in locum calidũ impacta est. Et sæpenumerò multos dolores eorum qui colici dicũtur, ex acri clysmate tali humore euacuato, statim sedat os intueri licet. Hic aũt humor videtur similis aspectu vitro fuso. Altera verò species pituitæ est, quã excreãtes sæpè expuũt quidam sensibilẽ obtinens dulcedinem. Constatq; eam nequaquàm posse esse omninò frigidam, si recordamur eorũ quæ libro de simpliciũ medicamẽtorum viribus docuimus. Tertia præterea species alia pituitæ est, quæ ipsis expuẽtibus acida sentitur, ac minus quã vitrea magis quã dulcis frigida est, quemadmodũ altera salsa habetur, aut ob putrefactionẽ, aut ob permixtionẽ salsæ serosæ hmiditatis: ex qua febricitantes minimè rigẽt, sed horrẽt tãtũmodò, præhẽdẽte accessiõe. Acida autẽ ac vitrea si moueatur, per corpa sentiẽtia permeãs, infert rigorẽ sine febre. Quòd si qua putredo moderata illis adfuerit, epialã cõmittit febrẽ. Sin magis putrescat, rigor præuenit: febris ipsa subsequitur, deuicto frigore ab ipsa multitudine caliditatis, ita vt nullo modo existat per incremẽta & vigores accessionũ.

Pituitæ species. *Phlegma vitreum.* *Phlegma dulce.* *Phlegma acidum.* *Phlegma salsum.* *Rigor sine febre.* *Febris epiala.*

nũ. At verò vitrea pituita forsitam acidæ qualitatis particeps est: ita vt oẽs eius differẽtiæ tres existãt: acida, dulcis, salsa, atq; ex pituita dulci putrescẽte rigor minimè antecedit febrẽ, forsitã verò neq; simpliciter neq; à simplici causa quis existimarit tales fieri febres. Siquidẽ quicquid pituitæ putrescit, ac tendit febrẽ reliquũ nondũ putrescẽs, ex quo rigent nõ eiusdẽ est qualitatis, cũ ea quæ putrescit. Si igitur ab hac quidẽ rigor, à putrefacta verò febris efficitur, duplex semp causa erit. Licet verò hic dicere febrẽ ab altero quidẽ fieri causę genere, rigorẽ aũt ab alio: vt qui nõ sit, quod febris. Per febrẽ tamen tertianã flaua bilis & rigorem efficit, & febrẽ. Sed hæc logicæ magis sunt cõsiderationis: nos ad institutũ nostrũ redeamus. Permixta pituita putrescẽte, ex qua fieri quotidianã docuim⁹, cũ bilioso humore efficiẽte tertianã, composita duplexq; causa & dispositio fuerit. Alter enim humor vno quoq; die, alter tertio quoq; die cõmittit accessionem: ita vt vnus dies duas habeat accessiões: alter verò vnã, quũ tẽpora accessionis in easdẽ horas minimè incidunt. Vbi enim incidant, vna erit cõfusa, neq; tertianæ, neq; quotidianæ exactam speciẽ seruãs. Et quoniam vtraq; febris duplex est, implexus quatuor

Pituita vitrea. *Pituitæ tres differentiæ.* *Rigor ex pituita dulci.* *Rigoris in febre tertiana causa.* *Tertiana quotidianæ implexa.* *Hic initiũ alij faciũt 7. cap.* *Tertiana quotidianæ cõfusa.* *Febris tertiana & quotidiana duplex.*

erunt. Vnus, in quo tertiana permiſcetur quotidianæ: ſecundus, in quo tertiana permiſcetur continuæ quotidianæ: tertius, in quo permiſcetur quotidiana tertianæ cõtinuæ: quartus autem, in quo permiſcetur quotidiana continua tertianæ continuæ.

Tertianæ & quotidianæ implexus quatuor.

Acceſsiões implexarũ febriũ concurrentes.

Quot modis fieri cõueniat implexus febriũ, ex quibus æger minimè deducitur ad integritatem.

CAPVT VII.

CAeterùm vniuſcuiuſq; dictorum implexuum differẽtia duplex eſt. Interdum enim omnes acceſsiones eodem tempore ſimul inuadunt, quãdoq; diuerſis tẽporibus acceſsiones præhẽdunt. Sed hi cognoſci facilè poſſunt, præterquã quòd ſæpè intermittens minimè cognoſcitur à parùm exercitatis: quoniã ægri nũquàm deducũtur ad integritatem, ſed oportet ſpeciem conſiderare acceſsionis, quemadmodum ſecũdo libro de iudicio ſatis dictum iam eſt, & inde cognoſcere, nõ ex ipſa circuituum proportione. Subiiciatur enim veniſſe cuipiam circa horam primam, acceſſionem ſimul cum rigore, qui videatur vulnerare carnem laborantis, deindè omnia alia tertianæ febris indicia vſq; ad vigorẽ proceſsiſſe: cum vomitu bilis ſimul cũ ſudore benigno inclinare, atq; eſſe iam diei horam nonam. Porrò cõiectare nos ex to-

Non concurrentes.

Acceſsiõis ſpecies.

Acceſsionis tertianæ nota.

Hic hora diſtinguitur initio diei facto hora ſexta matutina

to accesſionis motu, circa vndecimã horã ſine febre fore ægrotum, ea ſcilicet integritate quam in circuitibus nominare ſolemus. Ita verò ſperantibus ſtatim ſubſiſtere ſudorem, aut denſata ſolùm, aut etiam inhorreſcẽte cute. Deinde initiũ, atq; incrementum, & ad hæc vigorem in genere continuæ febris pituitoſæ ſequi: duplicem profectò ita cognoſcemus cauſam eſſe ac ſpeciem febriũ, mixta intermittente cum continua, quamuis nulla inueniatur intermiſsio. Ac ſequẽti quidẽ die ſperamus prę-henſuram accesſionem hora nona, & ſi vt expectabamus res ipſa eueniat, penitus tertio die ſimiliter ſperabimus adhuc febricitante ægroto, iterũ præhenſuram eum tertianę febris accesſionẽ hora prima. Quòd ſi præueniat, aut cunctetur accesſio, quam ſecunda die ſperabamus fore hora nona, atq; ea quã tertio die credebamus futurã prima hora: nõ etiam poſthac ſequentibus diebus, neq; nonã horã, neq; primã expectabimus, ſed tãtò priùs aut poſteriùs, quãto proportio primæ circuitionis accesſionẽ præueniſſe ab hora qua initio cępit, aut tardaſſe, indicauit. Vltra verò earũ deſitura ſit priùs, tùm ex febris ſpecie coniectãdum eſt, tùm ex ipſa accesſionis lõgitudine, & magnitudine, & more, & motu, & itẽ

Accesſio pituitoſæ cõtinuæ.

Tertianæ intermittentis cum cõtinua pituitoſa nota.

Præſagiẽdi modus.

Species febris deſinẽtem indicat.

Lege com. men. aph. 12. lib. 1. Acceßionis accidentia. Circuituũ ratio. Vrina est cruditatis concoctionisq; potissimũ indicium. Pituitosa continua simplex et permista.

circuituũ repetitione, & anticipatione & tardatione, & adhæc indiciis quæ posteà apparent cruditatis & concoctionis totius morbi, quorũ in vrina maxima cẽsentur. Ac de his omnibus libro de iudiciis satis dictum est. Quòd si pituitosa cõtinua nequaquàm ad nonam horam, sed quintã aut sextã excipiat intermittentẽ biliosam, quę prima hora incepit, adhuc difficilior cognitu est vulgo isti medicorũ, quibus talis consideratio minimè curæ est, an scilicet sit vnum febrium genus quod infestat, an duo, & quódnã vtrũq; sit. Cæterùm tãquã nihil horum cognoscentes, non solùm nesciunt quónam modo oporteat curare eas quæ nequaquàm cognoscuntur qualésnã sint, sed neq; vtrum secunda die suspectas habere conueniat vtrasque horas quæ prima die accesiones attulerunt. Ego nanq; (scio) visus sum eis sæpenumerò vaticinãdo potiùs quàm præsentiendo, vt medici solent coniecisse initium accesionis.

Permisceri inuicem febres, scilicet tertianam exquisitam & quotidianam: & quónam modo Agathinus errauerit circa semitertianam.

CAP. VIII.

Feb. quotidiana.

PEr hanc igitur mixtionẽ (de qua nunc agimus) tertianæ cum ea quę quotidie accedit, vidi interdum circa primã horam

præh

præhendere accesſionẽ exquiſitæ tertianę,
circa ſextam autẽ exiſtere acceſsionẽ eius,
quam recẽtiores medici propriè nominãt
καθημερινὸν, id eſt, quotidianã. Solent enim *Καθημε-*
ita nominare febrẽ quę ſingulis diebus ac *ρινὸς.*
cedit, nequaquã deſinens ad integritatem. *Quotidia*
Ipſe verò ſolitus ſum talẽ nominare *ἀμφη-* *na conti-*
μερινὸν συνεχῆ, id eſt quotidianã continuã, *nua.*
nomẽ enim *καθημερινὸν*, nequaquã licet in- *ἀμφημε-*
uenire apud quenquam Græcorũ ſcriptũ, *ρινὸς.*
ſed *ἀμφημερινὸν* appellant, rem omnẽ quæ *Simplici-*
ſingulis diebus ſimiliter fit, ſed vt Plato di *ter quoti-*
xit, cõtemnere oportet nomina eos quibus *diana*
tantarum ac talium rerũ propoſita eſt cõ- *quid.*
ſideratio. Appelletur igitur, gratia clario- *Quotidia*
ris doctrinæ, ea quæ ſingulis diebus acce- *na conti-*
dẽs deſinit ad integritatẽ, quotidiana ſim- *nua.*
pliciter, nihil inſup addẽdo ei per oratio- *Tertiana*
nẽ: ea verò quæ minimè deſinit, quotidia- *ſimplici-*
na cõtinua: ac liceat tibi, ſi libeat, alteri ad- *ter, vel ter*
icere, intermittẽs. Pari ratiõe dicẽdũ, & de *tiana in-*
ea quæ tertio quoq; die accedit. Altera eĩ *termittẽs.*
differẽtia tertiana ſimpliciter, vel etiã in- *Tertianæ*
termittẽs tertiana habetur, altera tertiana *cum quoti*
cõtinua eſt. Licet verò & cõtinuã tertianã *diana im-*
nominare tertianam ſimpliciter, ſine adie- *plexæ hi-*
ctione vlla: queadmodũ nonnulli appel- *ſtoria.*
lant. Sed enim nõ opus eſt fuſiùs diſputa-
re de nominibus: ſed redire ad inſtitutum.

Nam adolescens in quo dixi implexũ extitisse tertianæ cum quotidiana continua, prima quidem die mane incepit cũ rigore tertianæ proprio febri, alia omnia seruans exquisitæ tertianę indicia vsque ad sextam horam, subitumq; vomitum biliosum, †ac paruum sudorem, à quo statim† cõtractus est atq; inhorruit homo: deinde rursus prę hendente accesśione, pulsus erat paruus & inæqualis: pòst vsq; ad horam vndecimã, succẽsa adhuc paulatim, pleraq; ipsius accesśiõis habebat propria: pauca verò quæpiam ipsius quoque incremẽti: deinde vsq; ad noctis horam quartam incrementum diligẽs erat, post in eadem magnitudine permanebat ad ipsum quidẽ sensum, vsq; ad horam noctis sextam. Vnde iam perspicuè videbatur inclinare vsq; ad quartam horam in secũdo die. In ea enim contrahebatur, atq; ipsius accesśionis indicia ostendebantur, partibus quidem ipsius extremis frigidioribus euadentibus, pulsu autẽ paruo: atq; increscebat vsq; ad vesperã paulatim, neq; horrorem quempiam, nec inæqualitatem aliam efficiẽs: deinde rursus vigebat circa horã quartam noctis, ac sensibiliter inclinare incipiebat circa sextã. Ac quòd quidem tertia die hora citciter secũda oportebat eius expectare accesśionem

fore

Marginal notes: †Τι ϰ̀ πολὺν & multũ ϰ̀ γαστρὸς διαχώρησιν ἐπαϰνὴν ἠγὰ ταύτην χολώδη &c. & ventris excretionẽ biliosam satis multã in quibusdam codicibus. †Συνεστάλη, supra dixit densata est cutis. †ἀϰριβὴς. id est germanũ ac verum.

fore quotidianam, perſpicuum erat:nō tamen tertiana,an ſeruatura eſſet eādem horam,an nō,perſpicuum erat. Acceſsio igitur horrifica incepit hora ſecunda,quæ citiùs quàm pro acceſsiōe,in prima ac ſecūda die continuæ quotidianę increſcēs vſq; ad quintam horam, initium rurſus alterū fecit poſt quintam horam, atq; ei erant omnia ſymptomata ſimilia iis quæ ſecunda die extiterant. Deinde rurſus increſcēs promptius vſq; ad octauam horam, rurſus horruit in illa hora,ac paulò pòſt acceſsio promptè aſcendebat increſcēs:ita vt circa horam noctis quartam ad cōſiſtendi vigorem deduceretur. Ecquidnam aliud quàm exquiſitæ ſemitertianæ hæc acceſsio extitit?Cū duæ febres eadem hora inciperent, eò ꝙ quę ſingulis diebus repetebat,duabus horis præueniſſet: tertiana verò duabus horis tardaſſet.Quocirca nitēti dignoſcere ſpeciē febris perſpicuè videri potuiſſent tēperata ac permixta tertianæ,ac cōtinuæ quotidianæ ſymptomata. Cū enim tertiana cū rigore incipiat,quotidiana verò ſine rigore permixta ex vtriſq; horrorem ſtatim inferebat,rem quidē minorē rigore, maiorē verò frigore:ac tātò maiorem frigore,quātò minor rigore eſt. Quapropter æqualiter diſtans ab extremis vtriſq; hor-

Initij acceſsiōis ſignum. *Acceſsio horrifica.* *Exquiſita ſemitertiana.* *Tertiana cū rigore.* *Quotidiana cū frigore.* *Semitertiana cum horrore incipit.*

Horror rigoris frigorisq; medius.

Semitertianæ denominatio.

ror in medio amborũ collocatur, rigoris scilicet atq; frigoris:id quod tẽperatis inuicem extremis potissimum fieri solet. Ergo nõ ab re nomẽ tali febri semitertianã indiderũt. Tẽperata enim ex quotidiana cõtinua ac tertiana intermittẽte, totius suæ naturæ partem dimidiam vtranq; prędictarũ febriũ habet. Vt igitur hemionus, ideſt, mulus est ac semideus dictus: eodem modo semitertiana. Mulus enim medietatẽ quidẽ equi cõducẽtis ei ad generationẽ, medietatem verò asini habens, ab altero eorum tãtũmodò dictus est. Et semideus, indicatur quidẽ participare dei medietatẽ: quòd autẽ homo sit altera ex parte, omittitur. Itidẽ semitertiana, medietatẽ alteram habet tertianã, medietatẽ alterã quotidianã continuã. Sed duplex modus generationis eius

Semitertianæ modus duplex.

ęst, aut enim in vnũ tempus duæ accessiones cõcurrũt, vt paulò antè dixi, quia altera præuenit, altera cunctatur: aut ambæ statim ab initio inuicem temperãtur. Ac quæ quidem ambabus in vnum tempus coëũtibus fit, vnam solam habet accessionẽ naturæ ipsius semitertianæ: altera verò, omnes ab initio morbi vsq; in finẽ, quæ maximè propriè semitertiana ab omnibus nominatur. Sed de hoc paulò post agetur, potissimũ propter Agathinũ & Archigenẽ. Adole

Febris semitertianæ pulchra historia.

scen

ſcēti igitur quē noſtra narratio ſuppoſuit, tertio die tali veniēte acceſsione propterea quòd in vnū tempus ambarū febrium acceſsiones incidiſſent, prę ueniēte duab⁹ horis quotidianę ipſius acceſsione ſemper tertiana autē cūctante ſemper duabus, acceſſio quarta die incepit, oriente ſole ſpeciem ſeruās exactā febris pituitoſæ. Futurū autem ex proportione erat, vt quinta ab ea acceſsio inciperet circa decimā horā noctis, quoniā ſemper præueniebat horis duabus ab initio: tertia autē acceſsio febris bilioſę habitura principium erat quinta die, hora quarta, ita vt mediū interſtitium initii duarū acceſsionū foret ſex horarū, quod etiā factū eſt, circa decimā horā quartæ noctis incipiēte acceſsione ſecūdū ſpeciē pituitoſæ febris: atq; ita procedēte vſq; ad horam quartā diei, coëunte verò cū bilioſa ſimul modico rigore, deinde rurſus permixtā ſpeciem habente acceſsione ſecūdum bilioſæ ſimul ac pituitoſæ ſpeciem. At verò ſubſequēti nocte circa octauam horam pituitoſa febris incipiens exquiſita, ac ſola totam obtinuit ſequentē diem quæ ſexta fuit: tū autē vſq; ad mediā noctem inclinans, inde rurſus incepit eodē modo. Poſteà reliquā noctis medietatem, & tēpus vſq; ad meridiē ſeptimæ diei obtinēs, iam quodāmodo

inclinauit.Sed tertiana ei succeſsit cũ rigore incipiẽs,quẽadmodũ ſolet incipere exquiſita tertiana:atq; alia omnia eodẽ modo exquiſita afferens indicia,bilis vomitũ effecit,& deiectionẽ bilioſam,& vrinã bonam,& quẽdã madorẽ crepuſculo veſpertino,indicãs perſpicuè iis qui didicerũt cognoſcere genera febriũ,quòd remitteretur atq; inclinaret,& ſoluẽda eſſet poſt vnam, vel(cùm tardiſsimè)alterã circuitionem. Etenim inclinatio facilitatẽ habuit mirabilẽ quandã,& qualem nulla ex prioribus, vſq; ad horam noctis quartã.In illa enim febris pituitoſa ſingulis diebus accedẽs,horis autem duabus prçueniẽs incepit,atque occupans totã noctem,& totum ſequẽtem diẽ, rurſus incepit octaua nocte,ſecũda hora: quã quidẽ noctem totam occupans inclinauit ſequẽti die nono.Acceſsio autem tertianę erat futura in illa die circa octauã horam:quoniã duabus horis cunctabatur. Sed tũc circa horam nonã incepit,indicãs adhuc eo ſuam inclinationẽ.Sole autẽ occidente coiuit cũ ea acceſsio pituitoſa,anticipãdo inuadens,quẽadmodũ ſolita erat, & noctẽ occupans illam,& ſequentẽ diem, rurſus incepit decimo die, hora decima. Dein rurſus vndecima die hora octaua exactè permanẽs pituitoſa deinde circa horã

noctis primam, initium horrificum tertianæ febris quatuor horis tardantis extitit, tum autẽ sexta hora noctis vẽter deiecit biliosa, & quidam in toto corpore sudor extitit: & post hæc tota inclinatio prope integritatẽ deuenit, atq; erat iam perspicuũ tertianam destitisse integrè, pituitosam autem esse relictam solam iam & inclinantem. Has igitur ob res circa duodecimam diem, nec insuper accessio præuenit horis duabus, quẽadmodũ antea solita erat: sed septima hora incepit, deinde circa decimã tertiam haudquaquam sexta: sed tardauit ac septima hora incepit, ostẽdẽs insignẽ facilitatem atq; inclinationem. Quartodecimo autẽ die inclinatio multò melior extitit, atq; accessio incepit hora nona, & in vrina insigne concoctionis indicium apparuit, prenũtians fore solutionẽ futuro decretorio, sed de hoc, nunc non est sermo, nisi obiter. Quod autem sæpenumerò permisceantur diuersi generis febres medicorum vulgus latentes biliosæ scilicet pituitosis, itemque continuæ intermittentibus, præscriptus ægrotus abundè indicauit.

De differentia semitertianæ.

CAPVT IX.

SEd quum de his satis dixerimus, ad id quod paulò antè promisimus, rursus ve- †τὰ ὑπέ- τα.

nia

Tertianæ cũ quotidiana cõtinua permistio triplex.

niamus. Cõposita enim ex tertiana & quotidiana cõtinua (quã vocamus semitertianam) vel habet flauam bilem exuperantẽ, proindeq́; flauæ bilis symptomata vehemẽtia: vel hanc pauciorem, pituitam verò copiosiorem, proindeq́; quotidianæ cõtinuæ pathemata certiora: vel neutrũ altero humore exuperãtiorẽ, sed ambos æquales, quę sanè exquisita semitertiana est, talis specie qualem Hippocrates indicauit, scribẽs libro primo epidemion ad hũc modũ, Plæriq; in hunc modum afficiebantur: Febris horrifica, cõtinua, acuta, in totum minimè intermittẽs. Modus autẽ semitertianę erat diem quidem vnũ habẽs leuiorem, altero autem grauius affligẽs, atq; ad acutiorem dispositionem increscẽs. Horrificã autem dixit, nõ simpliciter febrem incipientẽ cũ horrore (nã innumeris febribus id accidit, de quibus deinceps docebo) sed in qua bonã partẽ accessionis horror occupat altera duntaxat die, in qua simul inuadunt tertiana ac quotidiana cõtinua. Sequẽs enim dies quotidianã tantummodo habet. Quocirca prima dies magna ex parte permixtã ex vtrisq; febrem cõmittit: secunda autem cõtinuã quotidianam. Interdum enim prima die incipere pituitosam, secũda autem vtranq; cõtingit. Accessio igitur commu-

Semitertiana exquisita.

Horrifica febris quid.

Semitertianæ exquisitæ accessio.

nis

nis ex vtrisq; quoties ęquales fuerint humores, talis est, qualē paulò antè descripsimus semitertianā. Vbi verò tertiana exuperat febris magis horrifica est, & aliquid vigoris in accessione assumit. Statim itaq; calidior talis est atq; ardentior, ac celerius peruenit ad cōsistendi vigorem: & item quędam bilis vomitum: vel deiectionem, vel madorē infert. Vbi verò humor pituitosus exuperat, frigus extremarū partium exuperat, & horror paruus est, & pulsus† contractio fortior ac diuturnior est ac lentè accessio increscit, & multo post tēpore viget: nō tamē sitim efficit, neque ardorem, neque vomitus, neq; deiectio biliosa, vel mador per eam existit. Atq; huius mixtionis duarum febrium etiam Archigenes ipse in notitiā quandam deuenit, sed confusè & incertè, quemadmodū indicauimus septimo libro, quem cōtra ipsius commentarios de pulsibus effecimus. Existimat enim in semitertiana quādoq; exuperare tertianā febrem, quandoque quotidianam: non tamen mistionē æqualem earū quæ sola semitertianam exquisitam committit, aut cognouit, aut indicauit, sed penitus omisit. Cū enim æquales magnitudine sunt intermittēs tertiana & quotidiana cōtinua, initiū accessionis cum horrore existit, id enim medium

Semitertiana magis biliosa.

Semitertiana magis pituitosa.

†θλίψις.

Semitertianæ ex permixtione æquali initium.

Horror.

rigoris,perfrictionisq́; existit, è quibus alterum tertianæ,alterum quotidianæ continuæ inest.Incrementum verò post initiũ propter tertianam facilè suscipit caliditatem,atq; ad consistendi vigorem festinat: propter pituitosam autem tardum, quantum in ea est efficientem incremẽtum,inhibetur atq; interrumpitur.Atq; est veluti quædam pugna symptomatũ,interdũ incalescente ægro, quoties tertianæ calor vehementius agens ad cutem humores effert,detinente autẽ interdum ac retrahẽte intrò huius motũ pituita,quæ otiosa ac frigida est ex natura ac difficilè mouetur, & tardè transmeat.At verò in tali pugna exuperante frigido humore contractio efficitur,& horror ac frigus partium extremarũ & cutis:ita vt altera accessio rursum incipere videatur.Quòd si calidior exuperet, vniuersim calefiunt, & prope ad vigorem peruenisse videntur.Dein paulò post exuperante pituitoso,ægri rursus cõtrahuntur refrigerantur & horrent.Idq́; minimè definit vsq; ad consistendi vigorem,qui maturius quàm pro pituitoso humore tardius quàm pro bilioso existit:quoniam pituitosus detinet biliosi celeritatem, biliosus tamen tarditatem ac segnitiem pituitosi accelerat.Atque huiusmodi quidem exqui

Symptomatũ pugna.

Pituita otiosa.

Accessionis repetẽtis occasio.

Incrementum semitertianæ.

Vigor semitertianæ.

sita

sita semitertiana est, ex æquali temperamento duarum febrium, & duorum humorum effecta. Ea verò quæ minimè exquisita est, vel humorem biliosum, vel pituitosum obtinet ampliorem.

Semitertianam esse febrem continuam, nec vnquam deduci ad integritatem: sed errasse Agathinum, vocantem semitertianam omnem febrem diuturniorem.

CAPVT X.

AT verò secunda implexio ac mixtio est duarum febrium tertianæ & quotidianæ, subsimilem efficiens accessionem prædictæ: sed differentem eò quòd hæc deducatur ad integritatem, & quòd secunda die, vel cum horrore vel rigore quotidiana sola effecta incipiat. Quocirca talis febris nõ insuper semitertiana erit: siquidem semitertiana cõtinua cẽsetur. Si verò in altero genere febriũ eam annumeremus, nõ solùm talis, sed etiam aliæ quædam febres nominabuntur semitertianæ. Ob eam rem mihi videtur Agathinus omnes productas tertianas, appellare semitertianas. Sed enim cũ de nominibus potius quã de rebus tales quæstiones sint, immorãdũ in eis minimè censeo. Nã alio libro seorsum de vocabulis medicinalibus dictũ iam est. in quo id ostẽditur ac definitur in plenũ, quę nam

Tertianæ & quotidianæ implexio secunda.

Semitertiana est continua.

Semiter-tiana febris quæ dicenda sit. sint de rebus,& quæ'nam de cominibus cõtrouersiæ. Quocirca rursus ad res ipsas redeamus, semitertianã ab Hippocrate nominatam horrificam & continuam, quã ter-
Horrifica accessio. tiana quotidianæ continuæ permixta cõmittit: intermittenti autẽ, minimè efficit: propterea quòd febris ex vtraq; cõposita, necessariò & ipsa intermittẽs existit. Neq; verò ex duabus cõtinuis, biliosa scilicet ac pituitosa, fieri potest semitertiana, neq;
Ingeminationes. enim mixtio horrificã facit febrẽ, neq; multas ingeminationes habentẽ. Quum enim
Duarũ cõtinuarum implexio tertia. omnis continua febris suapte ratione quũ exquisita est, neq; habeat horrorem, neque rigorem: neque etiã febris ex eis cõ posita, horrifica erit. Oportet ergo si eadẽ futura
Horrifica febris. sit horrifica simul ac cõtinua, generationẽ habere eã ex duabus febribus: altera quidẽ intermittente, altera autem cõtinua. Et ob eam rem tertiana permixta quotidianæ cõtinuæ, committit semitertiam: neque ambæ intermittentes, neq; ambæ continuæ
Tertianæ cõtinuæ et quotidianæ intermittentis implexio quarta. possunt cõmittere talẽ febrem. Restat igitur vna mistio quæ ex quotidiana intermittente, ac biliosa continua constans, potest continuã simul atq; horrificam committere febrem. Sed hæc cõtrà quàm prima, habebit continuitatem quidẽ ex biliosa, horrorem autem ex pituitosa, atque ingemina

tio

tiones ex pugna mutua,maximeq; quoties humores ipsi fuerint æquales. Vincẽtis verò eorum alterutrius ex symptomatis agnitio in prima mistione declarata est. Hæc omnia de quatuor mistionibus biliosæ febris ac pituitosæ,magis propria sunt libro q est de typis:sed hic necessariò dicta sunt propter semitertianã:cuius generationem Archigenes ad tertianam quotidianamque retulit:nequaquam videns se intermittẽtẽ efficere febrem. Agathinus verò perspicuè cõfessus est eiusdem generis esse cũ tertiana semitertianam,dissidẽtem tantũmodo magnitudine accessionis. Si igitur omnes febriũ differẽtias accuratè persequuti,lapsi nominibus essent,fuisset id ferẽdũ. Sed cũ neq; simpliciũ,neque cõpositarum omnes scripserint differẽtias, & ad hæc quasdam alias superuacuas adiecerint, nihil neq; in prę̃sensionem,neq; in curationẽ iuuantes, nos conati sumus pro viribus diligẽter excolere omnẽ typum lõgo tẽpore ex vsu simul ac ratione,vtiles in eo differẽtias peruestigãtes. Simplices ergo ad prę̃sentẽ attinent librũ:implexæ autẽ ex his attinẽt ad librũ de typis,cuius penitus ignarus nõ eris, vbi nunc diligenter euolueris. Ex iis enim quæ diximus de febre pituitosa ac biliosa inuicẽ permixtis,licebit hæc ad atrã bilẽ *Melãcholicarũ implexus.*

transferentes, de implexu cũ vtraq; earum ac temperamento coniicere: implexum nominantes, vbi diuersis horis incipiant: temperamentum, vbi initium eodem tempore fit. Nec secus tres febres implicare ac tẽperare quis per se ipse poterit sumpta ratione de prædictis. Horum enim omnium initium, fons & elementum est, diligenter internoscere cuiusq; simplicium febrium speciem. Neq; enim magnus numerus earum est: sed omnes tres existũt, biliosa, melancholica, ac pituitosa, quarum cuiusq; duplex differentia est, intermittens & continua, ita vt omnes simplices differentiæ febrium ex humoribus putridis cõsistẽtium sex numero sint. Quòd si qua alia illis accesserit, in his particulatim differentia ex copia humoris, quantitate & qualitate putredinis, necnon modo motus, & parte in qua putrescit, generationem habebit.

Implexus quid.

Temperamentum quid.

Febris species.

Quo pacto erret Agathinus, appellans febrem omnem semitertianam cuius accesßio plurimum producatur. CAP. XI.

QVale hoc sit quod iam proponatur ex iis febribus intermittẽtibus quæ tertio quoque die infestant, cui quidem & accessionis tempus breue est, & initium cũ rigore, & solutio cũ sudore ac vomitu bilis, vel etiam inferna aluo deiiciente biliosa:

ſa: huic nomē inditū eſt exquiſita tertiana: *Exquiſita*
cui verò aliquid horū deeſt, non amplius *tertiana,*
exquiſita, ſed ſimpliciter tertiana vocatur. *eiúſque*
Quòd ſi & intermiſsionē minorē habue- *notæ.*
rit, producta ſcilicet acceſsione, tertianā *Tertiana*
hanc nominãt productã: tametſi hæc ma- *non exqui*
ioris minorisq; ratione differentiã magnã *ſita.*
obtineat. Ac licet hanc quidē abſoluto ſer- *Tertiana*
mone appellare productam, quæ cū qua- *producta.*
tuor & viginti horas acceſsionis occupa- *Tertiana*
uerit, reliquas ſine febre obtinet: hanc ve- *admodum*
rò admodū productã, cùm circiter trigin- *producta.*
ta horas febris producitur: & hãc præterea *Magis pro*
magis productam, cùm ad ſex & triginta *ducta.*
procedit: & hãc aliã plurimū cùm ad qua- *Plurimū*
draginta & eo amplius producitur. Sed *producta.*
hæc omnia definire certis terminis nō li- † *Σωριτι-*
cet ob † acerualem dubitationē. Neq; ve- *κὴν ἀπο-*
rò neceſſe eſt talem nominum ſubtilitatē *ρίαν.*
quærere, cùm liceat nobis etiam ſine ea in- *Cibãdi tē*
dicare iis qui adſunt diligenter de vno- *pus indica*
quoque ægro, & rectè curare, ac euentum *tur acceſ-*
morbi, præſentire. Subiiciamus enim quē- *ſionis &*
piam quindecim horis febricitare, eſſe au- *intermiſ-*
tē ſine febre tribus & triginta, atq; id de- *ſionis tem*
inceps ei accidere ex proportione. Sanè ci- *pore.*
bandi tēpus certa ſcientia ſumere licebit
tùm ex acceſsionis, tum intermiſsionis tē-
pore, & quicquid ex eo ſumi vtile poteſt.

ad præsensionem & curationem, id quoq; abundè suppetet, etiam si nõ quæratur tertianámne absoluto sermone oporteat nominare talẽ febrem, an cum quadam alia adiectione definiente ipsam differẽtiam. Quin & volens indicare alia ratione febrem ægri quæ'nam sit, diligentius indicabit, accessionis & intermissionis dicẽs longitudinem, quàm quærens nomen quod perspicuè, ac definitè indicare idẽ queat. Hæc igitur optima enarratio, atq; doctrina est. Secunda autem est quam paulò antè dixi, exquisitam quandã tertianam nominans, aliam verò simpliciter tertianam, mox aliam paulùm productam, deinde aliam admodũ, aliam autẽ magis, postremò plurimum aliam. Sed ex omnibus obscurissima ac pessima est, quæ prima est prodita: ob quam recentiores medici quotidiè inter se certant, atq; cõtendunt, ne id quidem cognoscentes se de nomine contendere. Sed de aliis quis fortasse minùs mirabitur: de Agathino verò magis mirãdum: siquidem productam quandam nõminans quotidianam & quartanã, in tertiana minimè seruauit proportionem: sed cuius ampliùs producta fuerit accessio, hanc nominat semitertianam. Sed de nominum ratione hactenus: nam & ipse plus quàm

Doctrina vera & firma quæ in rebus insistit eas ipsas è natura propria definitiã degenerat quæ negle cta natura rerum nominibus res designat. sophistica est quæ neglectis rebus in nominibus omnes cõtrouersias mouet.

quàm par est temporis in ipsis cõtero, proinde tempus est, vt ad considerationẽ aliarum rerum redeamus.

Quónam modo ex sanguine putrefacto febris accendatur biliosa: & quòd sanguinis pars tenuior vertatur in flauam bilem, crassior in atrã.

CAP. XII.

SEquens est vt agitetur consideratio nihilò inutilior, vtrum queãdmodum ob vtranque bilem ac pituitam fiunt genera quædã febrium, ita & ob sanguinem putrescentem eueniat. Febris enim diaria, eo tantũmodò calefacto (vt diximus) haudquaquàm putrefacto consistit. Per ipsam verò putrefactionem (necesse est enim interdum sanguinẽ putrefieri) quærendũ febrium ipsarum genus. Id autem inuentum iri par est, si priùs inuenerimus quónã modo sanguis putrescit. Cõstat enim Aristotelem rectè dixisse, fieri putrefactionẽ ab aliena caliditate, intelligit autẽ alienam, externam, non natiuam, nec vnicuique rei propriã. Hæc enim concoquere: aliena verò corrumpere solet, quod est putrefacere. Extrinsecus autẽ caliditas superuenit sanguini per æstum, ac pestilẽtem cõstitutionẽ, & vt summatim dicã, per omnes febres ex quacunq; causa in generationẽ deducantur. Quinetiam vbi in quapiã anima-

Sanguis an cõmittat febrẽ putridam.

Ephemera fit sangui ne calefacto.

Sanguis putrefit.

Putredinis causæ.

Caliditas aliena.

Caliditatis alienæ causæ externæ.

lis parte sanguis copiosior collectus, supra vires eius fuerit, corrumpitur: maximeq; quoties infarctus est ob crassitiem in partis vasis, aut impactus ob copiã. Quemadmodum accidit in bubone & phymatis, & vt in summa dicã, in omni inflãmatione. Nã in tali dispositione sanguis duplici ex causa corrumpitur: tùm quia minimè difflatur, tùm quia à natura minimè vincitur. Quòd autẽ quæ minimè difflantur, putrescere soleant, in cunctis exteris corporibus intueri licet, fructibus, seminibus, atq; etiã vestibus: atq; persuadere id quod dicimus, maximè potest pleuritis. Expuunt enim per eam alii spumosam, alii pallidã, alii rubram saniẽ, quæ nihil aliud est quàm humoris in inflãmatione vincentis pars quæ non cõtinetur, sed præ tenuitate foras resudat. Interdũ etiã talis sanies nigra apparet, ac neq; statim ab initio, sed processu tẽporis, præcedẽte magna ex parte pallido sputo, quod erat indiciũ flauæ bilis exuperantis: queẽadmodũ spumosum pituitæ, rubrum sanguinis. Quocirca ratione nõ caret interdũ putrescere sanguinẽ ipsum in locis inflãmatione affectis, febrẽq; ex eo simpliciorẽ esse quàm ex aliis humoribus. Proportionẽ autẽ accessionum tertianæ circuitionis potissimum sumit (ita enim

Internæ. Putrefactionis sanguinis causa duplex.

Pleuritis.

Reiecta per tussim sanies in pleuritide quid indicet.

Febris ex sanguine est cæteris simplicior

Febris ex sanguine circuitio.

Sanguinis mutatio in alios humores.

fieri

fieri cernitur & in pleuriticis quoties rubrũ expuũt) vbi verò supra modũ assatur, mutatur penitus. Pars enim tenuissima simul ac pinguis in pallidã bilẽ: crassior autem in atrã vertitur, quemadmodũ accidit in carbunculis. Etenim in his sanguis vehementer feruefactus mutatur in humorẽ melancholicũ. Ad hũc verò modũ inaudire oportet humorem melancholicũ, tanquàm nondum effectus sit atra bilis: sed in confinio quodã collocatus. Febres igitur cõsistent pro specie humoris, in quem sanguis mutatur, tantũmodò dissidẽtes malignitate & clementia. Simpliciores enim sunt ex mutatione sanguinis: tùm cætera, tùm caloris lenitate. Etsi enim quã maximè multus manus occursu depræhẽdatur, prorsus tamen mitis est: quẽadmodũ is qui post balnea accidit. Copia enim caloris febrilis in ipsa effluuii copia semper posita est: molestia verò, si admoueas extrinsecus manum, in ipsa caliditatis acrimonia, idq; erit tibi indiciũ maximũ humoris cõmittentis febrem: intelligo autẽ ipsius caloris qualitatem. Qui enim vaporosior est atq; minùs molestus, sanguis est: qui molestus, erodensque & mordax, ex bile consistit. Vbi verò in primo occursu vaporosus potius quàm mordax sentitur, diutius autem

Carbunculi.

Humor melancholicus.

Febris ex sanguine mitior.

Caloris febrilis copia sequitur copiã effluuij.

Humor cõmittens febrẽ ex caloris qualitate depræhenditur.

immorantibus paulatim ei acrimonia accedit, eaque maximè inæqualis, ita vt per colum quoddã, vel cribrum transmitti videatur talem febrem ex pituita putrescente consistere sciendum est.

Febris pituitosæ signum.

Multa morborum genera repetere per circuitionem, vt ophthalmiã, capitis dolorem, podagrã, dolorem articularem. CAP. XIII.

Caloris inæqualiter occurrẽtis causa.

CAeterùm consideranti mihi quærentiq; causam ob quam febres ex aliis humoribus calorẽ habent æquabiliter occurrentem: quæ verò ex pituita cõsistunt, dictam obtinent inæqualitatem: apparuit mihi potissimùm causa esse lentor crassitiesq; humoris, & dissolutionis difficultas. Huius enim, vt aliorũ omnium, quicquid semper extenuatum est, per halitum digeritur, vix autẽ extenuatur, quicquid crassissimum: ac multò minus, si frigidum natura sit. Quocirca neq; totum, nec æqualiter, sed quicquid putredo occupauerit, id solùm in flatus vertitur, ac extenuatũ foras fertur: ac perinde euenit vt in glutinosis crassisq; humoribus externis dum elixantur. Existunt enim ex eis bullæ, quibus ruptis spiritus vniuersè educitur, simul secum abducens humorẽ attenuatum. Vbi verò tenuis humor elixatur, neque bullæ efficiuntur, & qui ab eo attollitur vapor

Analogia.

omni

omnino ſimilis ac continuus ſibiipſi eſt: ſed cùm de his ſatis dictũ ſit,ſequẽs eſt vt agamus de cauſa febrium ſynochorũ.Mirum enim mihi eſſe videtur ſæpè vſq; ad quartum vel quintũ,& interdum vſque ad ſeptimum diem,vnã fieri acceſsionem in eis ab initio vſq; ad finem.Quanquàm ſi quis conſideret diligenter, magis mirum eſt quaſdam febres repetere per circuitionem.Exemplũ enim ſupra dictum à nobis de ſtercore particulatim putreſcente, non perinde poteſt accidere,quum in corpore animalis putreſcẽtes humores cum his qui putredine vacant,facilè miſceri poſsint,vt potè quum ex omnibus cõfluxus,cõſpiratioq; in omnia exiſtat.Quocirca minimè fieri poteſt vt putredo in vna aliqua parte, aliàs alia fiat, niſi inflammatio colligatũ detineat incipientẽ putreſcere humorem. Cùm igitur ratio in contrariũ cedat,difficiliusq; ſit inuenire cauſam febriũ circuitione repetentium quàm ſynochorum,de vtriſq; nitemur diſſerere,neq; hic producentes ſermonem,neq; cõtradicẽtes erratis aliorum,ſed(vt in omnibus antè fecimus) veritatẽ ipſam tantummodò perſequentes, qua nixus poſsis depræhendere errata aliorum. Incipiendum igitur ab iis quæ manifeſtiſsimè apparent, cuiuſmodi ſunt

Hîc initiũ cap.13.

Cap.7.primi.

Putridi humores in corpore.

Morbi per circuitum repetẽtes.

Ophthalmia. *Auriũ dolor.* *Hemicrania.* *Podagra.* *Circuitiones defluxiõe fieri.* *Ratione il la analyti ca Platõis, ab ijs quæ oculis vsur pãtur, & externa sunt ad ea quæ latẽt & inter. nas inflãmationes gradum paulatim facit, & hinc ad febres.*

sunt ophthalmiæ quædã, quarum hæ quidem singulis diebus, hæ autẽ tertio quoq; die infestare cernuntur. Nec secus aurium dolor & capitis, vel totius, vel dimidii, quẽ nominant hemicraniam. Nonnullis verò etiam podagra ac dolor articularis repetit per circuitionem. Vt igitur in his omnibus videre licet venas ipsas in partibus quę infestantur in tumorem attolli, & phlegmonem augescere, & dolores intendi & fluxionem insignem foras procumbere: ita existimandum est in partibus internis, quæ minimè apparent, seruari eandẽ proportionem. Verbi gratia per inflammationem pleuritides, ac perineumoniæ inflammationes tumescere quidem inter initia accessionum, discuti verò ac subsidere per inclinationem. Sed quónam modo id fiat fortasse inueniemus, si ea quæ de inflammationis generatione & rheumaticis affectionibus vocatis alibi demonstrata sunt, ad memoriam reuocauerimus. Si enim simul cum illis adiecero quæcunq; propria huic sermoni sunt, præsentibus quæstionibus sufficient.

Quam ob causam fluxiones certis temporibus decumbant, & quòd partes debiliores promptius suscipiant excrementa.

CAP. XIIII.

FLuxionẽ igitur decumbentẽ in oculos, omnes quidẽ concedunt ab ipso capite defluere, ſed quæ'nam cauſa ſit ob quam præfinita circuitione ſæpenumerò defluat, dicere minimè poſſunt: vt qui nequaquàm cõmẽtati ſint in facultatibus naturalibus, de quibus ipſis tribus libris perſcripſimus, indicãtes omnes quatuor eſſe, à quibus plantæ & animalia gubernantur. Vna ergo eſt quæ attrahit propriũ alimentum, altera idipſum detinet: tertia autem ab his alterat: quarta ab his aliena expellit. Alienũ autẽ in omnibus rebus duplex eſt: alterũ qualitate, alterũ quãtitate. Id verò propter ſitarũ in ipſis partibus facultatum fortitudinẽ atq; imbecillitatem colligitur. Nam ſi quidẽ paribus ſint viribus, & meatus deferentes excrementa ſe habuerint ſecũdũ naturã, partes ipſæ ſanæ ſunt: ſi verò plus quàm alterari queat aſſumptũ ſit, excrementum omne excerni à facultate expultrice pulſum neceſſe eſt. Quòd ſi hæc imbecillis ſit, eodem in loco manere neceſſe eſt. Atque ſi multùm ſit, grauat eum ipſum, atq; diſtendit, ſi acre ſit, erodit & mordet, quemadmodùm ſi calidum ſit, calefacit: ſi frigidum, frigefacit, atque hæc perſpicua ſunt in iis quæ in ventre habentur. Quidam nanq; ingerẽtes plus alimẽti,

Oculorum fluxiones ex capite ſunt.

Vires naturales quatuor.

Alienum qualitate & quantitate.

Excrementi cauſæ.

Congeſtionis & defluxionis cauſa.

ti,interdũ vomere coguntur nauſeabũdi: interdũ alui fluore corripiũtur. Quod igitur hîc per maxima ſpatia excernitur eructãtia foras excremẽtũ, id in aliis partibus animalis per tenues meatus non foras, ſed ex aliis in alias transfluit partes: expellẽtibus quidẽ fortioribus, ſuſcipientibus verò debilioribus. Porrò rurſus expellitur ex his in alias, atque ex illis in alias defluit, quoſq; in debiliſsimas omniũ decũbat. Id autẽ rurſus recurrere inde in aliàs fortiores nequaquàm poſsibile eſt. Atq; ob eã rẽ per plethoram ac vitium humorum partes omnium debiliſsimæ aliàs inflãmatione, aliàs eryſipelate, vel herpetibus, vel alia quapiã affectione præhenduntur, aut habent affectionẽ quam rheumaticã nominãt, de qua ſeorſum ſcripſimus. Quocirca minimè mirũ videri debet, cerebrum vel etiam totũ interdũ caput vbi collegit aliquod excrementũ, in aliquã partẽ debiliorem expellere, aut in aures, aut oculos, aut tempora, aut labrũ, aut dentes, aut † genas, aut palatum, aut gingiuas, & gurgulionẽ, & tonſillas, & adenas ibi contentos: atque vbi nullũ ex his fuerit imbecille, in thoracem, pulmonẽ, fauces, gulam, vẽtriculum, fluxionem tranſmittit. Quẽadmodum ergo caput ſæpenumerò prædictorum cuiq; cau

Plethora.
Humorũ vitium.
Partes debiliores.
Fluxio.
Defluxiones ex cerebro.
† γνάθον.
Caput variorũ morborũ cauſa.

causā morbi est: ita inflammationis in iecore & liene, proximarum aliqua partiũ, aut etiam mehercle, vna longiùs positarũ, vel plures quæ excrementa gignunt, augent, transmittunt, & circuitione affligũt. Ac nihil miri est his accidere affectum similem excretioni excrementorum ventriculi. Quemadmodùm igitur si quis videret quidem quantum quotidie excernitur, ignoraret autem causam excretionis, miraretur ordinem: ita qui nescit neque generationis in capite excrementorum, neque excretionis causam, ignorat autē & quāobrem hæc foras decumbāt, illa in aliquā aliam partem transfluant: hæret atque miratur influxus proportionem. Pari autem modo, & qui ignorat quæ partes excremē tum iocinori transmittũt, miratur proportionem excitatarum ex iecore febrium. At qui nouit decumbentem in viscus fluxionem & primum phlegmones initium dedisse, & sequētis accessionis ipsam partem affectam autorem esse, mirari desinit. *Circuitum modus.*

Quònam modo ex calore attrahantur excrementa: & quòd dolor omnis irritet fluxiones.

CAP. XV.

CAeterùm duplex causa est huiusmodi influxus humorum, vna quā proximè indicaui, quoties ex aliis partibus in alias sa- *Decursus humorum duplex causa*

debiliores excrementa trãſmittũtur: altera verò, quoties attrahũtur, de quã hoc loco agẽdũ, initio ſermonis petitò ab iis quæ omnibus proſpicua cõfeſſaq; ſunt. Si enim tapſiam illinas cuipiam, videbis paruo tẽpore partem huic eſſe calidiorẽm, atq; in tumorem nõ paruum attolli. Nec ſecus ſi foueas partem quampiam iuxta ignẽ, aut fortiter frices, aut vngas reſinã, aut pice modicè calida, deinde paulò pòſt euellas vniuerſim, aut ſi etiam vngas partẽ quopiã medicamento calido, videbis enim ex his omnibus ipſam attolli in molẽ: quia calor ipſe, vel ad ſe trahere, vel ſuſcipere ſoleat fluxionẽ. Verùm neceſſe nõ eſt in præſens talia definire, id quod vtile eſt inſtituto iã habẽtes, etiã ſine huiuſmodi cõtemplatione. Semper enim in partes vehemẽtius caleſcentes decũbere fluxio videtur: vbi corpora plena ſunt, atq; abundant excrementis, admodum larga: vbi vacant excremẽtis, pauca. Decũbit præterea maximè & in dolentes. Sic nanq; ſæpè cui ſummus digitus manus minima acu punctus eſt, ſtatim dolet, & paulò poſt partes quæ circiter sũt inflammatione laborant, atq; in molẽ maximam tollũtur. Quibuſdam verò etiam bubones ſub ipſis alis erũpunt, vbi acceperint aliquid fluxiõis rara & ſpongioſa quæ

Partis ſuſcipientis imbecillitas.

Partis ſuſcipientis attractio.

Calor ad ſe trahit, vel fluxionem ſuſcipit.

Pars excrementis abundans aut vacans.

ibi

ſbi habẽtur corpora, quos Græci nominãt adenas. Quibuſdam autẽ accidit id in medio brachio vbi inſignis aden ea parte extiterit. Perſpicuè id quod dicimus videre licet, quoties vlcus aliquod exiguũ ſine inflammatione ac dolore prope vnguẽ fuerit. Si enim hoc contemnatur, neq; coëat, & ad cicatricem deducatur, innata ipſi caro ab vngue preſſa primùm quidẽ dolet, deinde totus digitus, aliquãdo verò & eorũ corpus, & interdũ manus vel pes in maximam deducitur inflammationẽ. Ita igitur dolor attrahit in dolore affectas partes fluxionem, nõ tamẽ cauſam huius hîc dicere oportet. Alibi enim commodius eſt dicta, nec illius in præſens indigemus. Videntur ergo iam cauſæ fluxionũ ex ipſis partibus laborantibus fluxione ortæ eſſe duplices. ex calore qui in eis accẽditur: altera ex dolore qui ſuperuenit. Cauſa autem cur aut plus, aut minus, aut benignius, aut deterius influat, eſt nõ in ipſis ſolum partibus laborantibus fluxione: ſed cur benignius deteriúsve influat, in ipſis partibus mittẽtibus cauſa eſt: cur autem plus minúsve, in vtriſque? Calor enim fortis ac dolor, plus debilior, minus attrahit. Itidem corpora excrementis vacua exiguum quiddam trahentibus mittunt: excremẽtoſa autem ac ple-

Adenes quid.

Dolor attrahit.

Fluxionũ cauſa duplex.

Calor attrahit.

Dolor attrahit.

Maioris fluxionis cauſa.

Excrementoſa corpora.

thorica tantò plus mittunt, quantò ab ipso naturæ habitu longiùs recesserint. Atq; hę quidem fluxionum differentiæ sine debilitate partium fluxione laborantium existunt. Aliæ verò & ob harum debilitatem, ac fortitudinem mittentium excrementa, efficiũtur. Omnis enim inflammatio sine vulnere ac collisione præhendens partem, excrementis quibusdam decũbentibus ex fortioribus in debiliora existit. Talis autẽ inflammatio statim accẽdit febrem, quoties ob magnitudinẽ, aut vicinitatẽ calor ex ea ad cor peruenerit. Decumbentia igitur excrementa in omni inflãmatione putrescũt propter causas prius dictas. Nec similiter omnia putrescunt, eò quòd quædã sunt pituitosa, alia melancholica, nõnulla biliosa. Ipsis autem putrescentibus accenditur calor præter naturã in parte inflammatione affecta: simul quidem calefaciẽs quæcunque primæ tangunt inflammatione obsessas partes, deinde illis continuas, ex quibus rursus aliæ ratione vicinitatis calefactæ, rursusque aliæ ab illis vsque ad ipsum cor deferũt interdum caliditatem. Sed quænam sit dispositio in parte inflammatione affecta, diximus in libro de intẽperie inæquali: & item in libro de tumoribus præter naturam. Quòd autẽ necesse sit

Debilitas recipiẽtiũ.

Fortitudo mittẽtiũ.

Febris ob inflammationem fluxionis.

Putredo accendit calorem.

sit contentum in ea sanguinem putrefieri sæpenumero, simul cum materia quæ influxit, in hoc dicetur.

Sãguis cũ excremẽtis putrescit.

Colligi excrementa diuersis temporibus, quæ sæpenumero ordinẽ minimè seruent, atq; esse quãdoque breuem, quandoque longam accessionem.

CAPVT XVI.

EXcremẽtum igitur quod decubuit ex vna parte in aliam, interdũ adeò multum prauumque est, vt partis laborantis fluxione lædat vires: interdum adeò mite ac exiguum, vt suscipiens corpus minimè offendat. Si igitur adeò debilitet vires vt exoluantur, nec prætereà euincant ea quæ prius vincebant, tunc sanguinem putrefieri necesse est duplici ratione: & quia humor minimè euictus à calore proprio reliquam habet in putredinem mutationẽ: & quia simul cum excrementis putrescentibus putrescit. Sin non tantum lædat vires vt exolutæ penitus quiescant, semiprauus & tanquam semiputris, in tali constitutione sanguis efficitur: vicinitate quidẽ putrescentium excrementorum simul putrescens, persistens tamen in sua ipsius natura quantum est in ratione facultatis ipsum †conficientis. Vtcunque autem se res habeat accensus calor per primam putredinẽ penitus acrior ac mordacior est quã

Excremẽtũ defluẽs duplex.

Vires exolutæ.

Putrefactionis duplex causa.

Sãguis semiputris.

†Διακοσμοῦντος.

Calor putris est mordax. Analogia. *† Addēdū ex quibusdam græcis codicibus, ex ipsis enim ligna dum alterātur generatur ignis.* *Humorū assatio.* *Humorū reliquiæ.* *Analogia.*

foret dum per naturam haberet, atq; tantùm crescit, quantùm natura ipsa excremētorum sufficiat. Hæc enim talem habent proportionem ad calorem ex eis accēsum, qualem ligna ad ignem obtinent. † Hæc tamen minimè in infinitum tempus sufficiunt ad alterationem: sed terminus alterationis ipsis est, humoris innati consumptio, nam eousque cremari queunt, dū innatum habuerint humorem: atq; eo consumpto cremari desinunt, ac reliquiæ eorum nominantur cinis. Quinetiam putrescētium humorum similiter calor permanet dum prorsus sint assati, par est autem reliquias humorum terrestres exiguas esse nequaquàm multas, quēadmodùm lignorum: propterea quòd in substantia eorum elementum humidum exuperat, non siccum. Simili modo si libeat coquere humorum externorum quempiam, vt oleum aut vinū, terrestre quidem eius qui minimum relinquetur, reliquū autem totū extenuatum, in vaporem atque aërem discedet. Itaq; tota substātia feruefactorum humorum ex putredine extenuatorū ab ipso calore in ambientem dispergitur per vigorem, inclinationemq; febriū. Remanet autem iam excrementū omnino exiguū, vel nullū: in hūoribus quidē crassioribus exi-

Inclinationis causa. *Excremētum paucū interdū nullum.*

guum, in ſeroſioribus autem nullũ. Quòd ſi nulla debilitas extiterit viriũ partis inflammatione laborantis, nec rurſus mittãtur excrementa: & morbus ſolutus eſt, & poſthac haud iterũ febricitauerit homo, neque ſequẽti die, neq; tertio quoque die, neque quarto quoq;. Quòd ſi ob eandem cauſam mittantur excrementa ob quã ab initio parti mittebantur, aut ſi hæc quidẽ non ampliùs mittantur, ſed permaneat virium debilitas: denuò febricitare hominẽ neceſſe eſt. Subiiciatur enim primùm facultas partis robuſta, tẽpore verò interueniente eiſdẽ in partibus quæ prius tranſmiſerant, collecta eſſe excremẽta paria quãtitate & qualitate his quæ initio tranſmiſerãt. Hoc verò accidit his in quibus diſpoſitio mittẽtiũ, & attracti ad ipſas alimenti quãtitas & qualitas eadẽ pmanet. Neceſſe enim eſt, æquale ac ſimile quod ab eadem alteratur facultate, æqualia ac ſimilia facere excremẽta. Quinetiã tẽpus collectionis eorũ neceſſariò æquale erit. Partes eñ quæ aluntur quoad ſimilẽ habuerint conſtitutionẽ ab eodẽ nutrita alimẽto, æqualia quãtitate & ſimilia qualitate, atque eodem tẽporis† tractu colligent excremẽta. Quinetiam eadem circuitiõe incitãtur ad expellenda ea atq; mittenda debilioribus.

Morbi ſolutio.

Secunda acceſsionis cauſa.

Circuituũ ordine repetentium cauſa.

† προθεσμία.

Expultricis facultatis incitamenta.

Siquidem tunc primùm expellēdi facultas excitatur ad operationē suam, vbi grauatur multitudine excrementorum, aut qualitate molestatur. Sed de his omnibus in cōmētariis de viribus naturalibus definitum iam est: in quibus exercitatū esse conuenit eū, qui quæ nunc dicuntur, sit cū demonstratione intellecturus: magno quidē præmio ipsi proposito ex tali contēplatione ad curandi viā & rationem. Nā vt alia omnia omittam quę sum dicturus in eo libro vnius tantummodo faciam mētionē, quòd maximè quidē in prōptu est, quodq; ipsi sępenumero fecimus, ophthalmiæ scilicet per circuitionē repetētis. Spero enim id nō paruum incitamentū fore lectoribus ad eam quam hoc loco tradimus condiscēdam doctrinam. Contrà enim quàm ii qui se nominant ab oculorum curatione ophthalmicos, curauimus semper huiusmodi ophthalmiam. Nam cum illi semper oculis negotium facesserent, nos interdū purgatione, interdum balneo, interdum meri potione (vt Hippocrates dicit) interdum sanguinis missione, interdum vtrisq;, vel clystere cum sanguinis missiōe vsi sumus: atque interdum statim his adhibitis desiuit, quandoq; etiam vbi capiti fuisset prospectum. Omnes enim qui ita curati sunt,

Ophthalmia per circuitum repetens.

aut omnino accesſionem non habuerunt, aut ſemel ſolùm:ſed multò leuiorẽ quàm priùs. Sed de curatoriis diſcretionibus ac de indiciis,nequaquam eſt hoc loco agendum.Cæterùm quòd accidat interdum totum caput aut minimè affectum, ſed ſanguine prauo atque excrementoſo nutritũ, colligere excrementa plura ac vitioſiora quàm antè,ita vt nequaquàm eis ſufficiãt naturales effluxus ac perſpiratus,ſed cogatur natura expellere excrementum ad aliquam partem debiliorem, aut ſi humores ſecundum naturam ſe habeãt, ipſum autẽ affectum ſit,aut etiã ambo concurrant,colligi excrementa,atque decumbere in aliquam partem, præſens ſermo demõſtrare ſtudet.Etenim quoad decumbens humor ſimilis fuerit, & capitis diſpoſitio eadem, eouſq; excremẽta æquali colligentur tempore ſimilia & æqualia,& acceſsiones oculorum ſimiles erunt.Simili modo & ſi non totius capitis,at certè vnius alicuius in eo partis,aut meningũ,aut cerebri ipſius fuerit aliqua diſpoſitio,ita vt ex tali nutrimẽto colligat tantum taleque excrementum tanto tempore:deinde expellat excrementum id tunc primùm quũ ab eo inſigniter moleſtatur:accidet & tunc per circuitionem infeſtari vel oculos,vel aures,vel ali-

Sãguis excrementoſus.

Excremẽta cur decũbunt in partes alias.

Oculi ac aures circuitiõe laborantes.

quid aliud tale, in quod debilius expulsum fuerit excremẽtũ. †Vt igitur in oculis, vel auribus, ac pedibus, & aliis multis partibus talibus perspicuè videtur fieri accessio per circuitionẽ, queadmodũ ostẽsum est: quid mirum in pleuritide, & peripneumonia, & phrenitide, & aliis omnibus quorũ nõ licet intueri inflãmationes, similiter fluere excrementũ? †nullo alio ipsa parte inflãmatione obsessa affectu laborãte peculiari ac proprio ad dictorũ generationẽ, quã quòd mittentibus excremẽta eo tempore imbecillior est. Neq; etiam illud mirũ videri debet, quòd nõ† eodem tẽpore colligãtur omnia excremẽta. Quòd enim neq; qui defertur ratione alimenti sanguis semper similis est, neq; dispositio partium quæ alũtur eadem, idcirco aliud alii tẽpus satis est ad tãti excremẽti collectionem. A' quo primũ natura partis molestatur, cogiturq; veluti alienũ à se id quod molestat expellere. Neq; porrò mirandũ est, ipsarum accessionũ longitudinẽ inęqualem esse, cum enim neq; genus, neque multitudo excrementorum vna sit, neq; similiter accendi in omnibus, neq; discuti conuenit. Nã plura quidẽ & frigidiora, & glutinosa, & crassa, longiores committunt accessiones: pauciora autem & calidiora & tenuiora bre-

† ὥσπερ. fortasse εἴπερ. i. si.

Pleuritis.

Peripneumonia.

†Quidam ex codice græco hæc addũt, eodẽq; modo febrem accendere.

† Κατὰ μίαν προθεσμίαν. id est vno certo tempore.

Tẽpus collectiõis excrementi.

Inæqualium accessionum causa.

uiores conducēte ad id non parum totius corporis constitutione eo tēpore & virium robore. Corpus enim rarius breuiores, quā tum in se est, efficit accessiones, densius autem lōgiores. Et robur quidem virium, breuiores: debilitas autem, multò longiores. Facultas enim valida promptius à se expellit id quod est alienum: corporis autem raritas, minimè detinet id quod effertur. Quocirca ita affectis citò euacuari excrementum necesse est: si etiam alia similia existant. Pari ratione quibus econtrario corpus afficitur, iis necesse est esse longiorem excretionem excrementorum, debiliter expellente excrementa facultate: detinente autem ea quæ efferuntur, angustia meatuum. Omnibus autem simul concurrentibus, aut breuissima aut longissima accessio fit. Longissima quidem, ob crassitiem & multitudinem excrementi, ac virium imbecillitatem, meatuumq; angustiam: breuissima autem, ob tenuitatem & paucitatem excrementi, & robur virium, ac viarum amplitudinem.

Glutinos. frigida, crassaq;. *Corpus rarum.* *Densum corpus.* *Robur.* *Excretio cita.* *Excretio tarda.*

Quam ob causam accessiones desinant ad integritatem.

CAPVT XVII.

SImili modo nec quāob causam accessiones quædā desināt ad integritatē, quædam

Acceßiõis ad integritatem desinentis causæ. dam verò nõ difficile est inuenire. Quoties enim prioris accessiõis tẽpus adeò breue fuerit, vt priusquã secũda incipiat, iam prĩa desierit: mediũ principij secũdę, priorisq; finis interuallum totũ sine febre existit. Sed vbi secũda prius incipiat, quã prior omnino soluatur, nihil harũ mediũ relinquitur. Hoc igitur (vt diximus) fit, quũ facultas partis excremẽta recipiẽtis sui similis esse pergit, hoc est, adhuc, vt anteà, sanguinẽ qui in ipsa habetur, vincit. Quòd si quando debilis efficiatur, idq; ei causa sit

Implexus febrium causa. cur nõ excrementa solùm, sed ipse etiã sanguis corrũpatur ac putrefiat, & febris accẽdatur: alterũ inde quoq; initiũ orietur circuitu repetentium accessionũ. At si quidẽ

Generationis excrementorum duplex ratio. prędictus adhuc seruetur calor, duplex erit genus febrium inter se implexarum. Si verò ille quidẽ desinat, dispositio verò suscipientis fluxionẽ permaneat, quæ de mittẽte sunt dicta prius, de hac intelliges. Hæc enim pars efficiet in se quędã excrementa duplici ratione, quẽadmodũ & illa, tũ quia prauus est sanguis contentus in ea, tũ quia facultas debilis est. Nec secus si ex quauis causa reddita sit interdũ debilis partis di-

Calid. facilè corrũpitur. spositio: adeò vt onus ipsi potius quàm alimentum sit sanguis adiectus. Corrũpetur eñ: & si calidus fuerit, facilè putrescet. Si

verò

verò subfrigidus ac pituitosus, non statim quidẽ:sed processu tẽporis is quoq; eandẽ suscipiet dispositionem. Quinetiã vbi nequeat concoquere quælibet pars genita in se excrementa, aut expellere ad aliam, tale sibipsi initium febricitandi, quale ea quæ transmittit alteri, ad fert. Cur autẽ nequeat alteri mittere excremẽta, prima quidẽ causa est in viribus mittentis suscipientisq;: altera autem in viarum obstructione, quæ à glutinosis, crassis, & multis fieri solet humoribus. Nihil igitur miri est, si etiã absq; eo quòd altera mittat alteri excrementum (quẽadmodũ caput oculis mittebat) ex excremẽtis ipsa adhuc manẽtibus in eãdem suscipiẽti aliena dispositionem deuenerit. Quę enim obstruxerũt naturales effluxus. processu temporis ea quoq; putrescant necesse est: & causa sint oportet ob quã multitudo excrementorũ in parte minimè vacuetur, & vt solita erat difflatur! Putrescũt igitur vt illa ea quoq; quæ postea colligũtur, & omnia simul accendũt statim in parte caliditatem febrilem. Supra autem indicauimus vbi accenditur quædam vel etiã augetur caliditas, in eam partẽ ab aliis sanguinem defluere. Itaq; necesse est, vt tempore quo defluit, partes illæ refrigerentur sanguine destitutæ: pars autẽ affecta grauetur

Febris ex congestione.

Excremẽta cur non mittuntur

Infarctio.

Putrefactio.

Caloris accensio vel augmẽtũ.

uetur atq; distendatur:& qui defluxit sanguis alteretur, propter duas causas, & quia putrescentibus iã excremẽtis permiscetur, & quia impactus minimè difflatur. Quocirca succẽditur instar lignorũ humidiorũ cõfertim in exiguam flammã cõiectorũ, atq; id tẽpus omne initiũ accessionis appellatur. Vbi verò calor superat materiã appellatur incrementũ & ascensus tale tẽpus. Atq; eo tẽpore augetur calor tam multus, vt nõ solùm deürat locũ ipsum qui veluti †causa quædam putredinis est, sed iam per cõtinuitatem depascatur vniuersum corpus: & vbi ad summum peruenerunt feruorẽ qui accẽdũtur humores: appellatur vigor talis pars accessionis. Vniuersum verò ignitum esse videtur tunc ægroti corpus, calore in vniuerso animali æqualiter intẽso: deinde si quidem humores tenues sint, ac facultas valida, & corpus rarũ, pars plurima feruefactorum humorum fusa in sudorẽ vacuatur. Quòd si crassi fuerint, ac expultrix facultas debilis, & viæ angustæ, nihil quidẽ sensibile effluit: sed solùm id quòd ita extenuatum est vt in habitus tenuis transierit naturã, appellatur autẽ id tempus inclinatio, quæ perspiratio quædã est humorũ feruefactorum. Sed vbi in parte dispositio permaneat, necesse est alterum in ea gigni excre

Difflatio. Analogia. Initiũ accessionis quid. Incrementum. †ἑστία focus. Vigor. Inclinatio Dispositio permanẽs in parte affecta.

excrementũ: cũ quod rurſus in eam attrahitur alimentum, non plane totũ vincatur. Quod rurſus (vt antè docuimus) & ab excremẽtis putridis in pte ipſa relictis, & ab ipſa propria prauitate, initiũ putredinis ſuſcipit: & vbi admodũ incaluerit, rurſus decũbit in ipſam, vt prius dictus ex aliis animalis partibus ſanguis, rurſusque eodem modo, initium, incrementum, vigor & inclinatio acceſsionis fit. Atque hoc certo ambitu tantiſper fit, dum affectus in parte primum gignente excrementa ſeruatur. *Sequentis acceſsionis cauſa.*

Quãobrẽ febres interdũ repetãt per circuitionem, interdũ cõtinuæ ſint. CAP. XVIII.

AT verò diſpoſitio talis duplex eſt: altera quidẽ partis debilitas, per quã gignũtur excremẽta: altera verò ex ipſis quotidie genitis collecta. Caue eñ putes in vaſis externis in quibus elixa cibaria nidorulẽta euaſerũt, diſpoſitionẽ quãdã relinqui: in partib⁹ aũt in quib⁹ humores putreſcũt, nullã permanere. Quũ ſanè hæc affectio ægrè ſoluatur, quoties vniuerſum corpus malis humoribus abũdet, ac plethoricũ ſit, multoq; ægrius, quoties in his fuerit anguſtia omniũ meatuũ partis, excremẽta educẽtiũ, queadmodũ & ſanatio ſubſequetur. ſi & meatus expurgentur, vt partis meatus fluxiles ſint, & vires roborentur, & diſpoſitio *Diſpoſitio partis affectæ duplex debilitas & excrementa.* *Sanatio febris quando ſubſequitur.*

ſitio corrigatur:& vniuerſum corpus neq; malis humoribus ſcateat, neq; plethoricũ ſit.Quãdiu autẽ hæc permanẽt, circuitionẽ acceſsionũ permanere neceſſe eſt.Simi liter accidit in mulieribus.In eis enim quoad ſimilis cauſa & æqualis permaneat mẽ-

Mẽſtrua. ſtruorũ,eadẽ eorũ circuitio retinetur.Sed de his omnibus in libro de rheumaticis diſpoſitionibus latius docuim':& nũc immorari diutius in cõfirmãdis iis quæ antè demõſtrata ſunt,minimè cõuenit:neq; prętere rire capita rerũ in præſens vtiliũ. Maximè autẽ vtile eſt cognoſcere, quòd aliquæ partes aliis tranſmittũt fluxiones,quemadmodũ caput oculis:quædã verò ab excrementis in ſe genitis initiũ febricitãdi ſuſcipiũt: & quòd his omnibus cõmune excremẽtorũ putredo eſt.Propriũ verò ſingulis,huic quidẽ infarctio ac ſtipatio vaſorũ, aut ex humore glutinoſo,vel craſſo,vel multo:alteri verò anguſtia meatuũ vel ſenſibilium, vel minimè ſenſibiliũ:alii aũt quòd omnia ſpacia vacua in toto ipſius corpore ſunt opplcta,& ab his plenitudo ad vires:quẽadmodum in libro de plenitudine docuimus.Febriũ igitur circuitione repetẽtiũ haud ſcio an vlla generationis cauſa omiſſa ſit.Earũ autẽ quę ordine carẽt,nõnullę ob humoris mutationẽ,nõnullę ob rationis victus errorem,

rem,ad eiusmodi constitutionē deueniūt. Sanguis igitur putrescēs maximè mutatur, quoniā(vt antè dixim⁹)partim flaua bilis, partim atra efficitur. Quantū igitur humores in corpore ægro mutātur,tātùm & circuitiones accessionū. Quocirca minimè mirū videri debet,per tales mutationes ordinē quoq; mutari. Mutātur verò maximè, vbi qui incepit putrefieri, in aliqua parte alius existit,ali⁹ autē ex aliis defluit,qui aut in illis solis talis habebatur,aut in toto animalis corpore exuperabat. Nec secus quæcūq; ęgri in vict⁹ ratione delinquūt hęc quoq; nihilò min⁹ corrūpūt circuitionis ordinē. Vt enim in sanis prau⁹ victus morborū causa est,eodē modo vel magis etiā in ægris, ex iis quæ deliquerint,accessiones inordinatę existūt. Nec solū adhuc ęgrotātes,sed etiā quo tēpore à morbis se recolligūt,prōptè ex quouis delicto læduntur. Quocirca per omnē insignē læsionem vel præuenire multum circuitiones cogūt, aut diuersi generis à prioribus quasdā gignunt,à quibus accessionū ordo corrūpitur. Sæpe verò ob implexionē circuitionū incognitā medicis,ægri visi sunt pati inordinatas accessiones. Sed tales ordinum permutationes reuerà nō sunt:sed tantūmodo videntur. Quæcunque autē reuerà sunt: aut ob permuta-

Humorū permutatio.

Error in victus ratione.

Febris æqualiter affligentis increscentis & decrescentis causa.

Morborũ circuitione & sine circuitione infestãtiũ discrimen.

tionẽ humorũ cõmittentiũ febres, aut ob errorẽ in victus ratione efficiuntur. Reliquũ porrò synochorũ genus (quarũ totum tẽpus vna accessio est, aut semper æqualis, aut decrescens, aut increscens vsq; ad iudiciũ) ex tali causa fieri solet, qualem omniũ febrium Praxagoras statuit, humorũ in caua vena putredinem esse existimãs, sed absolutior sermo ac verior hoc modo euadet. Quicũq; circuitionibus quibusdã repetũt morbi, partiũ superueniũt dispositionibus vel mittentium vel suscipiẽtiũ, vel gignentium, vel trahentiũ excremẽta, eo quo paulò suprà diximus modo. Qui verò sine circuitione fatigãt, in his nullus locus peculiaris affectus est: sed humores in venis & arteriis omnibus, maximeq; qui in maximis & calidissimis sunt, aut ob aliquã aliam causam, vt in diariis, aut etiã ob putredinẽ feruefacti, accendũt febrem vnã continuam, ab initio vsq; ad finem minimè intermittentẽ, eatenus durantẽ, ac deurentẽ hominem, quoad gignentes eã humores sint cõsumpti, aut concocti, aut vtrunque passi.

SECVNDI ET VLTIMI LIBRI GALENI DE DIFferentiis febrium finis.

INDEX CAPITVM PRIMI LIBRI.



Finis capitum primi libri.

INDEX CAPITVM SECVNDI LIBRI.



INDICIS CAPITVM FINIS.

*

INDEX EORVM QVAE HIS DVOBVS LIBRIS CONtinentur, prior numerus, librum: secundus, caput indicat.


A

Ar

V

INDICIS FINIS.

LVGDVNI,
EXCVDEBAT
PHILIBERTVS
ROLLETIVS.



CLAVDII

GALENI PERGAMENI IN HIPP.

librum de Natura hominis commentarius,

*

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

Accesserunt Iacobi Syluij Medici scholia multò quàm priùs locupletiora.





LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium, sub Scuto Veneto.

1553.



CL. GALENI

PERGAMENI IN HIPpocratis librum de Natura hominis Commentarius,

IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.



E elementis ex Hippocratis ſententia commentariũ,quem olim conſcripſi, familiarium cuidã peregrinationem inſtituenti tradidi, ad illius me ingenij captum habitúmque in eo accommodans. Quæ igitur ipſum exactè nouiſſe ſciueram, ea neque operis initio demonſtraui, neque commemini, etſi ita

factitare cõsueuerim, quũ sermo omnibus ipsum lecturis est cõmunis futurus. Quoniam verò in multorum manus liber, haud noui qua ratione, iam excidit, aliũ præter illum conscribere visum mihi non est: & interpretationẽ libri de Natura hominis hoc nomine distuli, quòd omnia quæ ad eã rem attinebant, in commentario prius edito (cui titulum indidi, de Elementis secundum Hippocr. sententiã) manifestò sim persecutus. Proinde nunc (quandoquidem familiares mei ipsius quoq; Hippocratici libri expositionẽ, non modò dictionum ad dogma necessariarũ vt in illo priùs feci, sed omnium ordine à me desiderarũt accipere) exordiẽs interpretationẽ, illa priùs scribam, quæ in libri de Elementis secundũ Hippocratem initio dicere omisi, quòd

quòd familiarem noſtrũ ea non latere ſcirem. Vnum itaq; & primum dicendum eſt, quid φύσεως, hoc eſt, naturæ vocabulũ ſignificet: à quo etiam veterum Philoſophorũ nonnulli nomen ſortiti, φυσικοὶ, hoc eſt, naturales, ſunt nũcupati. Fiet autẽ nobis perſpicuum id, cuius gratia hoc dico, ſi libros περὶ φύσεως, hoc eſt, de natura ab ipſis conſcriptos perlegamus. Vidẽtur enim hi libri exponere primã ſubſtantiam qualíſnam ſit, quam nõ generatam, verùm ſempiternã eſſe dicunt, omnibus corporibus quę generationi & corruptelæ obnoxia ſunt, ſubiectã. Item declarãt, quæ peculiari ratione inſunt ſingulis generatis & corruptibilibus: quæ poſtquam noueris, alia quoque noſces, nempe quæ non propria ratione vnicuiq; particulari ſubſtantiæ accidunt. Per-

Φύσις, ſiue natura

Philoſophis veteribus eſt prima rerũ materia: Ariſtoteli autẽ potiùs forma eſt natura, c. 1. libr. 2. Phyſ.

Ad naturæ rerum cognitionẽ perfectã neceſſaria.

fecta igitur singularum rerum existentium naturæ doctrina, hunc in modum efficitur: etiamsi vnum aliquis aut duo quæ rei cuipiam insunt, recenseat: atque sic homines loqui solent, vbi nonnihil de rei natura pronuntiant, quemadmodum & Poëta factitauit. Nā quum prædixisset,

Homerus Odyssea K.

Sic iam Mercurius fatus, terra medicamen
Exhibet euulsum, naturámq; ipsius edit.

Mox subiicit,

Nigra ipsi radix, verùm flos lacteus extat.

Natura plantarū nostris quatuor sensibus, præcipuè tamē gustatu cognoscitur vt lib. 4. Simpl. & ipsarū fa-

In hunc modum qui de herbis, aut omnino de stirpibus scripserunt, sensibilem ipsarum naturam edocent, quales sint singulæ, si tactu, gustu, olfactu, & visu eas examines, exponentes: item quam vim habeant, vel intra corpus assumptæ, vel foris applicatæ. Siquidem in his vniuscuiusque rei natura sensibi

ſenſibilis conſiſtit. At * hac ſuperior & prima eſt, de qua tum ego prædixi, tùm Plato conſulit, vt is * eam habeat cognitam, qui volet quancunque rem methodo, hoc eſt, ratione, & via quadam tractare. Adſcribam autem tibi verba ipſius, SOC. Animæ igitur naturam, ſine totius natura intelligere te, vt conuenit, poſſe arbitraris? PHAE. Si ſanè Hippocrati ex Aſclepiadarum genere credendum eſt, ne corporis quidem naturam citra hanc methodum poſſis. SOCRA. Rectè quidem, ô amice, dicit: attamen præter Hippocratem, ratio inſpiciunda, examinandáque eſt, an ipſi conſentiat. PHAEDRVS. Aſſentior. SOCRA. Et quid tandem Hippocrates dicit, veráque ratio? an non

cultate in corpus noſtrum.

* τούτων

In Phædro ad finē de animæ natura diſputant Socrates & Phædrus.

Hoc Galenus in fine huius repetit, et initio methodi medendi.

ſic? Conſyderandum eſt de cuiuſlibet rei natura: primum ſanè ſimpléxne ſit, an multiformis, cuius nos ſciẽtes eſſe voluerimus, quámque alios docere ſtudeamus. Poſteà verò ſi ſimplex fuerit, facultas ipſius inſpicienda eſt, quam videlicet ad quid agendum, item quam ad patiẽdum ab alio, habeat. Quòd ſi ſpecies habet multas, his dinumeratis, in ſingulis ſimiliter vt in vna, naturalis & agendi & patiendi vis inquirenda. Hæc tibi Platonis verba ſunt ex Phædro, quæ tum naturæ vocabuli ſignificatũ, tum quomodo ſubſtantiam ipſius methodo conueniat inſpicere, docent. Tales verò omnes veterum Philoſophorum libros de natura conſcriptos, inuenias, nempe Empedoclis, Parmenidis, Meliſsi, Alcmæonis, & Heracliti. Aliqui nõ vnum, ſed

Simplex hîc eſt ſpecies infima ſeu ſpecialis.

Multiplex eſt genus multas ſub ſe habẽs ſpecies.

ſed plures huius ſpeculationis libros compoſuerunt: aliqui etiam multò plures, quemadmodum Epicurus. Incipit enim is, ſicuti & alij omnes, à quæſtione, vnúmne ſit & ſimplex, cuius naturam inuenire conemur, an compoſitum ex ſimplicibus quibuſdam ſe prioribus, quæ veterum ipſorum ſucceſſores elementa nominare conſuerunt: quomodo Grāmatici in voce quatuor & viginti elementa eſſe pronuntiant, hoc eſt, ſimplices primáſque particulas, quæ non amplius in alias diuidi poſſunt, ſicuti ſyllabæ: nam ſi de hac ſyllaba, ſtra primum adimas elementum, ſ, licet reliquã adhuc integram habere ſyllabam, tra. Ita ſi rurſus ab ipſa, tra, primam demas literam, t, id quod ex hac reliquum eſt habebis, ra, quod diuidi poteſt: non tamen, a, adhuc

diuidere licet, neque illam ex duobus, tribúſve ſonis, ſicut alias multas, conſtare oſtendes: verùm indiuiſus vnus ipſius ſonus eſt, non ſecundum quantitatem ſimpliciter (vt alibi & nos, & alij pleriq; Philoſophi oſtendimus) verùm ſecundum ſolā ſpeciem. Pari modo qui quatuor elementa corporum, quæ generationi & corruptelæ ſubiecta ſunt, eſſe dicunt, aërem, ignem, terram, & aquam, quoniā amplius ſingula ipſa in plures ſpecies ſecari nequeunt, ideo naturalis ſpeculationis principia ipſa ſtatuunt. Prima ſiquidem eſt corporum minimorum notio, quantitatis ratione: deinde alia ſecunda, qualitatis, vt in elementis vocis oſtenſum eſt. Atque hinc naturales Philoſophi inter ſe diſſenſerunt, nonnulli ſanè elementa corporum generatorum

Libr. de placitis Hippo. & Platonis.

rum & corruptibilium particulas quantitate minimas ſtatuentes, nõnulli verò qualitate. Verùm de ſignificatu vocis elemẽti, libro * primo de Nominibus medicis copioſiſsimè diſputatum eſt, quemadmodum & de naturæ vocabuli ſignificatione in quinto. At in præſentia non de appellationibus aut ſignificatis, ſed de rebus ipſis diſputatio eſt, ex quibus minimis, ſiue ſecundum magnitudinem, ſiue ſecundum ſpeciem, prima corporum generatorum compoſitio ſit conflata, quæ Ariſtoteles * & nos appellamus ὁμοιομερῆ, id eſt, ſimilaria. Secunda nanque ex his alia corporum fit conſtructio, quæ vocamus ὀργανικὰ, id eſt inſtrumentaria, vt manus, cruris, oculi, linguæ, pulmonis, cordis, iecinoris, lienis, renum, ventris, vteri, & id

*Lib. Ga. de nominibus medicis.

*Cap. 10. lib. 1. Hiſtor. & c. 1. lib. 2. de partibus: & libr. 1. c. 5. de generat. animaliũ, & Gal. libr. 8. de Placitis Hip. & in Cõſtit. artis medic.

id genus aliorum. Quippe cõſtãt ex primis & ſimilaribus, quæ ſanè etiam πρωτόγονα, id eſt, primogenia Plato appellare conſueuit: de quorum differentia dictum quidẽ iam eſt vno quodã volumine: nunc autem ſummatim dicetur clarioris doctrinæ gratia. Similare igitur eſt os, cartilago, & ligamentum: ſimilare & membrana, & pinguedo, & caro, tum quæ muſculorũ fibris circundatur, quæ & ipſæ ſunt ſimilares, tũ quæ in viſceribus habetur, quam Eraſiſtratus etiam παρέγχυμα [quaſi dicas affuſionem] vocare ſolitus eſt. Cæterùm ſignificaui ſtatim ab initio operis, quo medendi methodum, qualis nam ſit, demonſtraui, fieri non poſſe, vt per indicationes ſimilaribus corporibus, medearis, niſi prius cognitum habeas, vtrum ſingula ipſa ſimplicia ſint,

ſint,an ex pluribus conflata. Item temperata illáne ſint per tota, an ſolum ſe mutuò contingant. Iam verò oſtenſum eſt à me,nõnullos Medicos,è quorum numero & Eraſiſtratus eſt,ex dimidio eſſe dogmaticos,qui inſtrumentariarũ partium morbos ratione curant:ſimilarium aut neutiquam, aut Empiricorum more. Nec ſciunt pleriq; ipſorum. quomodo inſtrumentariorũ morbi ab iis qui ſimilaribus accidunt, differant:veluti nec de vtrorunque ipſorum numero. Sed vos ô ſodales,etiam de Morborum differentiis vnum aliquem è noſtris commentariis habetis, & remediorum non exiguum opus,cui titulum indidi, Methodum medendi. Verùm tum hæc,tum alia de natura corporis noſtri diſputationem requirũt, quæ præſenti in volumine docetur.

Partes ſimilares ex elementis 4. per tota cõfuſis fiunt Hippocrati: ſe ſolũ tangentibus, Empedocli.

Libri huius neceſſitas.

tur. Quare etiam mirari aliquis possit illos, qui librum de natura hominis non esse germanum Hippocratis censent, sed (vt ipsi vocare consuerunt) νόθον, id est, spurium, decepti ab iis, quæ ipsi affica sunt, & interposita: de quibus in his ipsis commentariis fusiùs tractabo. Impræsentiarum satis est explicare, quæ in germano, vel etiam adulterino Hippocratis opere compræhensa sunt: quorum lectio sic habet. Huius libelli prima in vno volumine pars, ad ducentos & quadraginta versus porrigitur: ostendens ex calido, frigido, sicco, & humido, animalium corpora esse constata: pariter & de humorum natura docens. Altera post hanc pars, varia est: etenim prima pars erraticos morbos à publicè grassantibus pestilentibúsque discernit: & pro

Argumētum libri de natura hominis.

propriam vtriusque generis curatioñe summatim tradit. Hanc subsequens libri pars, confectionẽ venarum persequitur. Deinde de morbis varia est doctrina: & postea salubris victus ratio ad priuatos cõscripta. Postremò, qua ratione quis crassissimos homines attenuet, aut tenuissimos repleat: quibus coniuncta est de vomitu præceptio: mox breuis quædam puerorum victus rationis descriptio: deinde mulierum: pòst, eorum qui exercentur. Ad finem adiecta est versibus circiter decem, cerebri morborum doctrina temerè & sine iudicio. Proinde clarum omnibus est, totum libellum ex multis instructum conflatúmque esse, ad sexcentos ferè versus, aut paulò minus extensum. Habet autem primam sanè disputationem, vbi de elementis & humorib

Partẽ libri huius primã & secũdam Hippocratis esse.

ribus agit, omnino Hippocratis arti consentaneã quemadmodũ & secundã, quæ morbos publicè grassantes, & erraticos inuicem distinguit. At eam, quæ de venarum consectione est, euidenter ab aliis interposita, totã habet vitiosam. Neque enim iis, quæ apparent, consonat, & ab iis quæ in secũdo de morbis passim ingruentibus sunt comprehensa, dissentit. Subsequẽtium alia supposititia sunt, de quibus, quũ tibi librum interpretabimur, exactè agemus: alia verò sunt mentione digna, & paucis rectè dicta, nec ab arte Hippocratis aliena, sicuti quæ de salubri victus ratione prodita sunt. Ex his totus quidem liber constat, verùm prima ipsius pars, totius Hippocraticæ artis veluti fundamentum continet: quare demirari nonnullos me dixi, qui eam

Hanc partem de venis Aristoteles tribuit Polybo libr. 3. capi. 3. de Natura animaliũ.

eam ab Hippocratis ſenſu alienam eſſe tuentur. Plurimi ſiquidem qui Hippocratis artem habent cognitam, germanis ipſam aſſcribunt, iudicantes magni Hippocratis eſſe commentarium: quidam verò Polybi eius diſcipuli, ſimul &. in iuuenibus docendis ſucceſſoris, qui nullum planè Hippocratis dogmatum videtur tranſmutaſſe in vllo ſuo libro: quemadmodum neque Theſſalus eius filius, mirabilis ſanè vir & hîc exiſtimatus, ſed qui non in patria, ſicuti Polybus permanſerit. nam Archelao regi Macedoniæ familiariter conuixit. Itaque perſuaſum habent, vt dixi, & alij propè vniuerſi Medici, præter paucos quoſdam, Hippocratis eſſe librũ de Natura hominis: id quod nec Plato ipſe ignorat. Scribit itaque in Phædro ſententiam paulò

Polybus Hippocratis diſcipulus.

Hippocratis filij duo Theſſalus & Draco.

antè à me recitatam, cuius initium hoc est. S O. Animæ igitur naturã, sine totius natura intelligere te vt conuenit, posse arbitraris? P H AE. Si sanè Hippocrati Asclepiade credendum est, ne corporis quidem naturam citra hanc methodũ possis. Hæc verba perlegentes inconsultos illos nugatores considerare oportebat, quo in libro Hippocratis methodus, quam Plato commendat, perscripta sit: quippe non in alio quàm præsenti hoc commentario de natura hominis tradita esse videbitur. Deinde verò & alia singula quę Plato enumerauit. quæ etiam ego in opere de Elementis secũdum Hippocratem edocui, & nihilominus in præsentia persequar: ad ídque me nunc accingo, quandoquidẽ ita vobis visum est: illud sanè adhuc vbi sermoni adie-

Librum hunc verè esse Hippocratis.

cer

cero, orationum quę in libro sunt, expositionem aggrediar. Quum liber de elementis secundum Hippocratis sententiam à me aliquando conscriptus, in multorũ manus incidisset, probatúsq; ab omnibus esset eruditis, pauculi indocti (qui demonstrationũ in eo scriptarum nullã potuerũt repræhendere, quãuis id aggressi) cõtabescebant, rũpebantúrque inuidia, hoc satis esse ad calumniam putantes, si dicerent opus non esse ipsius Hippocr. Esto igitur neq; Hippocratis, nec ipsius Polybi, nec, si velint, omnino conscriptus liber sit de Hominis natura qui ostendat corpora nostra ex calido, frigido, sicco, & humido esse conflata. Etsi enim hoc ipsis donabimus, tamen corpora nostra ex his constare, Hippocratis est dogma. Nam in libris, qui maximè

Hippo. in Aphor. et in libello de Aquis aëre & locis.

germani ipsius sunt, non modò differentias morborum his principiis consentaneas facere videtur, sed etiam curationum modos illinc inuenire. Siquidem morbi ipsorum principiorum ratione calidi, frigidi, humidi, & sicci, inter se differũt. Curatio autem fit, calidorum sanè, dum refrigerantur: humidorum, dũ siccantur: veluti & frigidorum, dum calfiunt: siccorum, dum humectantur. Præterea ante hæc, ipsas naturas hominum, alias calidas, alias frigidas, has humidas, illas siccas arbitratur: ætatésque similiter, & regiones etiam pari modo inuicem differre autumat, quum nihil horum Erasistratus vnquam prodiderit, sicut nec alius quispiam eorum, qui calidum adscititium, non innatum, esse putant. Sic etiam alia omnino particularia Hippocrates

sanè

ſanè ad hæc principia refert: Eraſiſtratus autem non obſeruat: quæ cauſa eſt, vt nonnulla naturæ opera indiſcuſſa reliquerit, quemadmodum in commentariis de Facultatibus naturæ docuimus. Quoniam verò, qui omnibus honeſtis obſtrepunt, ſermonis prolixitatem criminantur, dicentes nos quiduis potiùs quàm commentarios ſcribere, decreui & hanc ipſorum contumeliam recidere, proprio alio opere à me conſcripto, in quo opinionem eandem cum Hippocrate me tueri oſtendam, quæ in libro de Natura hominis ſcripta eſt, & in aliis omnibus commentariis. Noui autem rurſus quemadmodum in omnibus iis quæ à nobis demonſtrãtur, inuidi ea calumniari veriti, quæ ab omnibus collaudantur, criminantur aliquas ſpeculationes eorũ qui

ipſis communicant, ita etiam nunc facturos ipſos. Etenim in libris qui ſcribentur, dicunt Hippocratem vti quidem verè ſcopis elementaribus, calido, frigido, ſicco, & humido, non tamen verè ipſum ſentire. Quum autem demõſtret rurſus ex iis corpora noſtra conflari, non videri hoc Hippocrati dictitant: quippe librum de Natura humana non eſſe Hippocratis. Sicut igitur illi malefacere non deſinunt: ita & nos conuenit memores eorum, quę in ſingulis commentariis erant propoſita, in memoriam illis reuocare. At neque, quum demonſtramus Hippocratem in omnibus commentariis artis ſuæ fundamentum in ſcientia de elementis repertis ſtatuere: hoc omiſſo, de veritate ipſorum inquirant: neque quum de veritate inquirimus,

mus, aut etiam demonſtramus, digrediantur ad ſententiæ ipſius conſiderationem: ſed priuatim quidē, an vera de elementis diſputatio ſit, diſquirant: priuatim quoq;, an hæc elementa Hippocrates ſtatuerit. Quum itaque duo hæc diſquirenda proponantur, prius in opere de Elementis ſecundum Hippocratem, & in diſputatione modò propoſita conſiderent. Hinc abundè colligitur, eadem ſemper elementa ſtatuiſſe: librúmque præſentem cōſcripſiſſe, viris non imprudentibus apparet.

SCHOLIA.

GAleni liber hic de Medicis vocibus etiam hodie deſideratur, ne quis eum eſſe putet, qui nunc titulo diffinitionum Galeni falsò inſcribitur. Ob id naturæ ſignificata aliquot, Hippocrati & Galeno conſuetiora hîc adſcribere viſum eſt, pretereà, quæ hoc commentario decla-

rantur: ne & hîc, & in alijs Medicorum libris, homonymia lectori medico imponat. Natura est ex primis quatuor elementis temperatura, siue vniuersa substantia & temperies ex primis elementis, calido, frigido, humido, sicco conflata, id est, igni, aëre, aqua, terra: quod propriũ ac principalissimum & maximè secundum ipsam naturæ substantiam, significatum est. Quo Hippocrates vsus est libro toto de natura hominis, & multis alijs locis, vt Aphoris. 34. li. 2. & Aphoris. 2. li. 3. Galenus cõmentario in hos Aphorismos, & lib. 3. Temperamentorũ. Eodẽ significato dicitur consuetudo esse acquisititia natura, cap. 17. lib. 3. simplic iũ: & consuetudo singulorum corporũ naturam ostendere lib. 9. Methodi: & naturã semper gaudere consuetis, lib. 8. Methodi. ex libro 1. Hippocratis de ratione victus in morbis acutis. Naturæ omnium doceri non possunt. Hippocrates libro de alimentis. Communis & propria hominũ natura Medico noscenda est, Galenus initio ad Glauconem.

Naturæ vocabulũ de calido innato dici.

Natura est calidum innatum, seu calor natiuus, Aphor. 15. lib. 1. & Aphor. 22. lib. 5. cui idem est facultas, nostrum corpus gubernãs. Hic enim calor solus animal ab initio afformauit, posteà auxit, & vsque ad mortem enutriuit, & vt paucis finiam, hic calor est causa omnium operum naturalium. Neque aliud quicquam est natura animalium, quàm hoc calidũ innatum, secun

cundũ Hippocratis opinionẽ. Galenus in Aphor. 15. lib. 1. Idem initio libri 2. Facultatum naturalium: Quod semen prius erat, id cùm primum gignit & format animal, natura quædã fit. Idem initio libri 5. Symptomatum: Per naturæ vocabulum in hoc sermone intelligas velim, omnem qua regitur animal facultatem, siue illa à volũtatis nostræ imperio pendeat, siue non. Idem lib. 4. Vsus partium naturam vocat, naturam nutritoriam, & animam nutritoriam. Idem libro 2. ad Glauconem in sumpta à viribus indicatione, Calor natiuus vel est virtutum substãtia (vt summi tum Philosophi, tum Medici existimauerunt) vel si non hoc, saltem primum & maximè necessarium, ipsarũ instrumentum. Satietas &c. modum naturæ excedens, Aphor. 4. libri 2. Cibus præter naturam ingestus: Aphor. 17. libr. 2. id est, supra naturam & virtutem nos gubernantem. Eodem sensu ab Hippocrate & Galeno passim audimus naturam morbos exiguos per se sanare, carnem in vlceribus generare, vlcera glutinare, & cicatrice tegere, nos & cætera animalia, ad id quod conducit, impellere: ab eo quod noxium est, retrahere: humores coquendo discernere: crisi vel aliter expellere: & si rectè agat, & per loca conferentia vergat, vel sinendam, vel à Medico imitandã esse: sin minus, à motu suo reuocandam. & alia huiusmodi sexcenta. Quanquam hæc naturæ significatio cum priore tam est

affinis, vt interdum vix ſecernas, vtra ſit accipienda, vt apud Galenum cap. 85. Artis medicæ, Optima natura quantum appetit, tantum etiam concoquit. Omne nimium eſt naturæ inimicum. Aphor. 51. lib. 2. Et fortaſſe eſt eadem re ipſa, ſola ratione differens, aut ſi vis etiam, quo effectum à ſua cauſa. Vnde Galenus in hunc Aphor. Natura, inquit, in elementorum commoderatione conſiſtit. Facultatum item ſubſtantia in animalibus & plantis, & cæteris corporibus in certa quadā tēperie ex 4. qualitatibus conſiſtit, Galenus lib. 1. Facul. nat. & li. 1. Simpl. Hoc ſignificato intelligere poſſis, ſanitatem eſſe ſecundū naturam: morbum eſſe præter vel contra naturā: Naturam tribus conſtare partibus, ſeu ſubſtantijs, ſpirituoſa, verè ſolida, carnoſa.

Natura pro deo ſeu ratione diuina.

Natura eſt deus, ſeu diuina ratio, toti mundo, & partibus eius inſerta: vt cum à Galeno in libro de Vſu partium dicitur, Natura rerū parens & opifex: Natura nihil fruſtra facit, vtilitati & pulchritudini partium proſpicit, proportiones obſeruat, patiendi promptitudinem vitat in partibus noſtris, naturæ iuſtitia, prouidentia, ſolicitudo, induſtria, ſagacitas, ſophiſma, ars, miraculum, ſcopi in partium corporis noſtri conſtructione. Et vbi contra Moſen diſputat lib. 11. de Vſu partium. Natura excrementis inſtrumenta inſtituit, & inſtrumentis facultates inſeruit, quibus incitata, quædam ad ſe trahunt excrementa,

quædam alijs ea transmittunt, quædam eadem propellunt, primo libro Sanit. tuendæ.

Natura est prima ætas, & prima in vtero conformatio: vt, Natura crassus, vel gracilis. Aph. 44. lib. 2.

Natura est forma corporis: vt Hipp. 1. Epid. Maximè moriebantur, quibus natura vergebat ad phthisim. id est, corporis forma, scilicet pectus angustum. Est enim vbi & hanc nominant naturam. Gal. Aph. 34. lib. 2.

Natura est essentia: vt, Morbi natura, initio lib. 3. Methodi, & alibi paßim.

Alias naturæ significationes etiam Medicis interdum vsurpatas, prudens omitto, ne sim longior: tu si voles, adscribito.

TEXTVS HIPP. p. t. p.

QVi de natura humana vlteriùs, quàm ad Medicinam pertinet, disputantes audire consuerit, ei hunc sermonem audire commodũ non est. Neque enim in totũ, aërem, dixerim hominem esse, neque ignẽ, neque aquam, neque terram, neque aliud quippiam. quia non vnum in homine esse apparet: sed hæc iis quę volent dicere permitto.

Commenta. Galeni. p5

QVantum ad seriem hāc dictionum attinet, haud adeò fieri posse videbitur, vt manifestò autoris sententiam intelligas. Accusat enim eos qui disputationem de natura vlterius abducunt, quàm Medicina postulet. Vlterius autem abducere, aliquis poterit intelligere illos, qui ignem, aquam, aërem, & terram, hominis naturæ elementa esse dictitant, si non misceant ipsa: item illos, qui elementum vnū aliquod ponunt. Quorū priorem sententiam prompta imaginatione: secundam verò exacta magis cōsideratione percipimus. Nam qui corpora nostra ex igne, terra, aqua, & aëre inuicem temperatis cōstare arbitrantur, ab iis iniquè postulabit aliquis, vt secernant ostendendo in nobis aquam aut ignem, aut terrā, aut

Duplex de elemētis opinio falsa.

aut aërem, aut ſi nō oſtendunt, conuinci dicat. Simile enim hoc eſt, ac ſi voles in medicamento tetrapharmaco, vel cerã, vel picem, vel ſeuũ, vel reſinam puram ſyncerámque oſtendi: aut iis qui nequeant oſtendere, nō concedas ex his ipſum eſſe cōpoſitum. Nam dum quatuor cōtemperari dicuntur, nullum ex ipſis ſyncerum eſſe oſtẽditur. Poſsis igitur ambo in propoſita oratione intelligere. Verùm in iis quæ mox dicentur, ſecundum ab autore adſtrui videtur. Et (ſi quis animum diligẽter aduertat) etiam hac ipſa oratione, vbi inquit, Neque enim hominem in totum aërem eſſe dixerim, non hoc dicit, quòd non ſit omnino in nobis aër: quemadmodum neque quòd ignis, vel aqua, vel terra, ſed quòd nō in totũ ſit, quod Græci ἐν πάμπαν dicũt: qua dictione ſignifica

Tetrapharmacum, baſilicō Paulo dicitur, ex horum æqua portione.

ficatur [Græcum] illud, μὴ παντελῶς (hoc eſt,non omnino) non [autem illa dictio] μηδόλως, hoc eſt,nulla ex parte. Neque enim res,de qua diſputamus,per dictionem πάμπαν, tollitur omnino,ſed quod in ea abſolutum eſt,& miſturæ expers,comminuitur. Quin & Homerus in eo ſignificatu, voce πάμπαν vti videtur, in quibus ſcribit,

οὐ δ' ἔτι πάμπαν
ἤθελε λαὸν ὀλέσαι ἀχαιϊκὸν ἰλιόθι πρό.

id eſt,

Non quia Græcos
In totum voluit ſub Troiæ perdere muris.

Apho.19. lib.2. Item Hippocrates ipſe quum ait, Morborum acutorum οὐ πάμπαν, id eſt,non in totum ſecuræ ſunt prædictiones , ſiue ad ſanitatem , ſiue ad mortem. Etenim Poëta ſcribit, Iouem in gratiam Thetidis , magnam Græcorum cladem velle moliri,

liri, non tamen omnino ipſos extinguere. Hippocrates verò multas ſanè prædictiones firmas eſſe dicit,(vt in commentariis in librum Prognoſticôn oſtendimus)non tamẽ omnes,pręſtat intelligere. Quod etiã ſubſequentibus declarat, Hippocratem non concedere iis, qui aërem ſolum humani corporis eſſe elementum dictitant, quemadmodum neq; his qui terram ſolam,aut aquam,aut ignem. Neque enim vnũ aliquod horum eſt,ſed omnia elementa. Proinde etiam dictionẽ ad finem orationis poſitam,quum ambigua ſit,in eo ambiguitatis genere,quod ex diuiſione & compoſitione naſcitur,ſatius eſt diuiſim legere, vbi inquit, Græco ſermone [ὅτι μὴ φανερὸν ἐστιν ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ]hoc eſt,quoniam non vnum in homine ens apparet. In qua ſententia ἓν ἐὸν, non

Ambiguitas ex vocis ἑνεὸν, ſiue ἓν ἐὸν diæreſi & ſyntheſi nata.

non(vt priorem interpretationem celebrantes censent) vna est orationis pars, quæ ab aliis Græcis duabus syllabis effertur, ἑνὶν, ab Ionicis tribus, ἑνεὸν: verùm duæ sunt orationis partes, prior nomen monosyllabum, vt cùm numerando dicimus, ἓν, hoc est, vnum, duo, tria: altera, quam nos quidem ὂν, id est, ens dicimus: Iones autem duabus syllabis ἐὸν. Ostendetur enim in subsequentibus Hippocrates refragari nó iis qui putant singula quatuor elemẽtorum in corpore contineri, sed iis qui vnum duntaxat ex ipsis, naturã hominis esse arbitrantur. Quomodo igitur, inquies, vlterius, quàm medicina postulat, disputatio hæc procedit, in qua vnum quodlibet elementum nonnulli naturam hominis esse statuunt? quoniã(vt ipse paulò pòst dicet) hanc opinionem sequi

Si homo vnico elemento cõstaret, non doleret: & si dolere concedas, vnicũ esset re-

ſequitur, nunquam hominem dolere: & ſi quis hoc conceſſerit, vnũ etiam remedium eſſe. Sed dolere & curari videtur multifariàm: eóque falſa planè eſt opinio. Inſpiciamus igitur ſingula iam dicta, quomodò ipſa in ſubſcriptis verbis κατηχονυάζει. Neque enim πάμπαν, hoc eſt in totum, dixerim hominem eſſe aërem, neq; aquam, neq; terrã, neq; aliud quiduis: quia vnum in homine eſſe nõ apparet: ſed iis, quibus hæc libet dicere, permitto. Artemidorus cognomento Capito, Hipp. libros in lucem edidit: quæ editio nõ ſolùm apud Adrianum Imperatorem in pretio eſt habita, verùm etiam nũc admodum à multis ſtudioſè affectatur, probatúrque: ſicut & ea, quam Dioſcorides ipſi coætaneus inuulgauit. Multa igitur vterq; tranſcribendo corrigens, veteres ſcriptu-

medium: quod falſiſſimum eſt. Nam multiplex morbus eſt: & multiplex ſanatio.

ras immutauit, quas ſolas norunt, qui Hippocratis libros interpretati ſunt. Capito autem quum pleraque alia, tum hanc modò propoſitam orationem immutauit, hunc in modum ſcribens, ὄυτε γὰρ τὸ πᾶν ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, ὄυτε πῦρ, ὄυτε ὕδωρ. id eſt, neque enim in totum aër em dixerim eſſe hominem, neque ignem, neq; aquam. Quia enim neque librum viri veteris inuenit, qui terram ſolum elementum eſſe diceret, neque apud eos viros qui maximè huiuſmodi hiſtoriam pertractauerunt (puta Peripateticos) huius opinionis autorem quẽquam prodi: * lectionem audacter immutauit. Satius autem erat increpare eos, qui contentioſè inueſtigarunt, quis eſſet vir, qui terram ſolam elementum opinatus ſit. Perinde enim hoc eſt, ac ſi quæras, quis erat qui manũ

*Sublata videlicet clauſula ὄυτε γῆν, et τὸ πάμπαν in τὸ πᾶν commutato.

manum luxatam ſupinam deligari voluerit: & quis ille extiterit, qui calcanei deligaturam aliter quàm Hippocrates, fieri præcepit: quis rurſus, qui clauiculam, aut quis qui fracturas cum vlcere coniunctas in ipſo quidem vlcere non deliget, in vtraque autem ipſius parte deliget: aut quis in adurendo humeri articulum, non in quibus conuenit partibus cruſtas induxit: aut qui erant, quos in oratione de ſpinis dorſi accuſat. Multa enim id genus Hippocrates & in opere de fracturis, & de articulis eſt perſecutus: nunc quaſi vno, nunc quaſi multis errantibus: quemadmodum in opere de Victus ratione in morbis acutis, ſimul multos Medicos accuſans, hunc in modum ſcripſit. Noui Medicos longè aliter, quàm

Quæſtiones inutiles vitandæ.

Hippo. de fracturis.

Scrupuloſius inquirendi non ſunt, qui è doctis ſcriptoribus erraſſe dicuntur.

Diatrita rios damnat: in quos & Galenus lib. 8. Method. inuehitur.

conuenit, facere. Volunt enim omnes sub morborũ initiis, vbi homines aut duos, aut tres, aut etiam plures dies fame cruciauerint, ita iam & sorbitiones & potulenta offerre. Qui igitur fuerint, qui ita victus rationem tradebant, ostendãt nobis interpretes: qui rursus erant, qui pituitam solam esse hominẽ arbitrarentur: qui flauam bilem: aut qui atram bilem hominem esse iudicabant: Nam inferius in hoc ipso de natura hominis libello, esse nonnullos ait, qui sic opinati sunt. Quare præstiterat interpretibus, dixisse, quòd forsam omnes hi suas ipsorum opiniones ne scriptis quidem mandauerint. Rursus fieri potuit, vt ipsi conscripserint, sed libri interciderint: nam hoc pluribus de causis fieri videtur. Nõnulli enim qui susciperent ipsorum disci-

Causæ cõplures, cur veterum multorum doctrina scriptáve ad posteritatẽ nõ peruenerint.

plinam,

plinam, non habebant. Nonnulli verò libros, dum viuerent, non ediderunt: deinde mortuis ipsis vnũ aut alterum exemplar, quod supererat, periit. Iam potuerunt etiã, quia scripta ipsorum in pretio nullo erant, negligi, & temporis spatio prorsus interire. Quinetiam inuidi quidã aut supprimunt, aut omnino abolent veterum libros. Sunt qui id faciant, vt quæ in eis sint tradita, sua esse dictitent. Sed quid mirũ est, eorum libros, qui alienas opiniones literis prodiderunt, perire, quum etiam apud Athenienses nõnulli inueniantur, tum Comici, tum Tragici Poëtæ, magna celebritate operum commendati, quorum fabulæ non amplius supersint? Vt enim alias vniuersas causas omittam, duarum duntaxat, quæ Romæ nuper acciderunt, meminero. Sæpe con-

Celeberrimorũ scriptorũ libros incẽ-

Dijs et terremotibus, Romæ perijsse, Gal. initio Adm. anat. Sabini, Pelopis, Rufi, bonorum in Hippocr. cōmentariorū pau cos superesse Gale. ait in ordine libro rū suorū.

flagrata incendio templa, sæpe terræmotibus collapsa, aut alia de causa, fecerunt, vt non pauci libri interierint. Perperam igitur Capito ausus est antiquam lectionem abrogare, ita vt ne hoc quidem adiecerit, fieri potuisse vt primus librorum scriptor errauerit, pro alio scribens aliud. Male itē interpretes quidā de Xenophane mentiti sunt: quemadmodum & Sabinus, sic ad verbum scribens: Neque enim in totum aërem dico hominem, sicut Anaximenes: neq; aquam, vt Thales: neque terram, sicut alicubi Xenophanes. Nullo enim in loco sic pronuntiasse Xenophanes inuenitur. Quinetiam Sabinus ipse ex suismet verbis mentiri perspicitur, non præ inscitia in errorem prolapsus: alioqui certè librum, in quo hæc pronūtiauit, nominatim protulisſ

tulisset. Nũc autem sic scripsit: Neque terram, sicut quodam in loco Xenophanes. Theophrastus autem in naturalium opinionum compendio, Xenophanis opinionem, si ita haberet, conscripsisset. Ac tibi licet, si historia de his prodita te oblectat, Theophrasti libros perlegere, in quibus naturales opiniones compendiosè perstrinxit: quẽadmodum rursus si veterum Medicorum opiniones voles discere, integrum tibi est Medicinæ contractionum libros euoluere: qui sanè Aristoteli adscribuntur, sed à Menone eius discipulo scriptos esse, pro confesso habetur: quare etiam nonnulli hos libros Menonios appellant. Cõstat autem quòd & Menon ille, inuestigatis diligenter veterum Medicorum libris, qui ipsius tempore adhuc

Epitome Medicinæ à Menone scripta.

ſupererant, opiniones ipſorum inde collegerit. Eorum verò qui iam prorſus interiiſſent, aut ſuperſtites quidem eſſent, ſed non in lucem editi, ſententias haud potuit perſcribere. In his itaque libris haud inuenias vel ab vno proditum, flauam bilem, aut nigram, aut pituitam, hominis naturæ eſſe elementum: ſanguinem verò etiam qui Hippocrati ſucceſſerunt permulti, ſolum nobis ineſſe arbitrati ſunt, quòd prima generatio noſtra ex ipſo fiat, mox in vtero incremẽtum, deinde in lucem editorum abſolutio. Sed Hippocrates paulò pòſt ſcripſit, tanquam nonnulli ſint, qui & pituitam & bilem, hominem eſſe arbitrarentur, non ita ſcripturus, ſi non quidam fuiſſent, vel ipſius tempore, vel ante ipſum, qui ſic opinarentur.

An ſanguis, & vter ſanguis noſtra ſit natura pòſt dicetur abundé.

SCHO

SCHOLIA.

Philoſophi & Medici celebres falſas aliorum de re propoſita opiniones primùm rationibus confutant, & euertunt: deinde ſuã pronuntiant, & demonſtrant ſententiam. Id quod Ariſtoteli, Hippocrati, Galeno conſuetiſſimum eſt: quia ſyncerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. Quomodo bonus agricola herbis infelicibus & noxijs agrum antè expurgat, quàm ipſi ſementem bonam committat: alioqui infelix lolium & ſteriles dominentur auenæ, & Zizania ſeges obruatur. Reprehendit autẽ Hippocrates primùm Philoſophos, in communibus mundi & rerum omnium elementis errantes. Deinde Medicos de hominis, & cæterorum animalium ſanguine præditorum elementis, id eſt, quatuor humoribus, malè opinatos. Quos qui audire conſueuit, non eſt idoneus diſputationis huius de natura humana auditor: quia falſa ſecta imbutus, eiq; vel ob conſuetudinem addictus, noſtris demonſtrationibus non credet, ſed eis quantumuis veris vel aures occludet, vel repugnabit.

TEXTVS HIPPOC.

VIdentur autem mihi non rectè ſentire, qui huiuſmodi affirmant. Nam ſententia eâdem omnes vtuntur: dicunt autem non eadem,

Idē cōclu dunt hi, ſcilicet, omnia eſſe vnum, ſed id vnū nō eſt idē omnibus. Nam eſt huic ignis, illi aër, &c.

ſed ſententiæ eundem inferunt epilogum. Quippe aiūt, vnū eſſe quod eſt, & hoc eſſe tum vnum, tum omne, hic ignē, alius aërem, ille aquā, alius terrā: tum ſuæ quiſq; orationi teſtimonia & indicia quę adducūt, nullius ſunt pretij. Quòd enim in vnam omnes ſententiā deſcendunt, verbis autem diſcordant, id ipſos quæ profitentur, ignorare arguit. Cognoueris autē hoc potiſsimùm, ſi ipſorum controuerſiis interfueris. Nam quum hi viri inter ſe contendunt, nunquam ter ordine idem homo in diſputando ſit ſuperior, etiam corā iiſdem auditoribus, ſed nunc hic vincit, nunc ille, cuicunq; contigerit lingua potiſsimùm fluxilis, turbæque accommodata: etſi æquum eſt, eū qui rectè ſe de rebus ſentire pronuntiat, vt rationē ſuam ſemper præſtet ſuperiorem, ſi quidem

dē verè ſentiat, & rectè pronūtiet. Verùm mihi videntur hi homines, nominibus dum diſputant, præ inſcitia ſeipſos ſubuertere, Meliſsi verò ſententiam reſtituere. De his igitur dicta iam mihi ſufficiunt.

Comment. Galeni.

VErba facit, tanquam cum ſcientibus ea, quæ proferunt ij, qui elementum vnū ſtatuunt. Nam qui ignem eſſe elementum affirmant, ex hoc alia generali volunt denſato, coacto, cōcretóq;: ita vt ſi modicè concreuerit, aërem generet: ſi ampliùs, aquā: ſi abſolutiſsimè & plurimùm, terram. Qui aquam, quíque aërem ponunt elementum, pari modo ex concretione & fuſione illorū alia procreari tuentur. Concretam ſiquidem aquam, terram gignere dicunt: fuſam, aërem: ſicut & aërem concretum, aquam: fuſ

Ratio ponentium vnicū elementum.

fusum, ignem. Quare ex mutua in se quatuor elementorũ mutatione, ratio orta est eorũ, qui vnũ quodlibet elementum esse statuunt: atque ideo sententia ipsos eâdem vti, diuersa autem dicere scribit. Proinde manifestò hac oratione tota iis aduersatur, qui hominem vnum quoddam solum ex quatuor elemẽtis esse autumant: aítque ipsos aberrare. Nam quia nihil demonstrant, * summè probabilis oratio ipsorũ extiterat: vnum siquidem quatuor elementorum esse hominem, non tuentur, astruúntque? *Melisſi verò sententiam erigunt, probántque: qui sanè etiam esse vnum elementum existimat, non tamen ex quatuor illis, aëre, terra, aqua, igne. Videtur autem vir hic consyderasse substantiam quandam communem, quatuor subiectam elem

* πιθανὸς habet Græcus codex: sed ἀπιθανὸς legẽdum, vt ratio docet & Commentarius ab hoc tertius.

*Melißi opinio c. 3. libr. 1. Physicor.

elementis, non generatam, incorruptibilem, quam posteri ipsius Græcè ὕλην, id est, materiam appellarunt: non tamen perfectè id potuisse ostendere. Hanc igitur ipsam substantiam nominat vnũ, & omne. Verus autem nequaquã hic sermo est. Non enim illud vnum est solum principiũ corporum, quæ generationi & corruptelæ subiiciuntur, quemadmodum Melissus opinatus est: sed præter id qualitates quatuor, frigiditas summa, siccitas, caliditas, & humiditas. *Nó tamen hæc elementa sunt, vel aliorũ, vel hominis naturæ, sed principia. †Hoc autem apud veteres cófusum erat: vt quibus ne in mentẽ quidem peruenerat principij, & elemẽti differentia, eò quòd potuerint vti etiã in principiis elemẽti appellatione. *Verùm duæ res sunt, manifestò inuic

* *Primæ qualitates 4. principia sũt & materia rerum nõ elementa.*

† *Principiũ & elementũ de re eadem confundebant veteres.*

* *Elemẽti & principij differentia.*

Elementũ est pars minima rei, quam constituit Gal. in elementis.

uicem differentes: altera ſanè eſt minima totius particula: altera verò, in quam diuidas intellectu ipſam hanc particulam minimã. Etenim ignem ipſum non licet in duo corpora diuidere, & temperatũ ex illis oſtendere: quemadmodũ neq; terram, aut aquam, aut aërem: conſiderare tamen poſsit alteram eſſe eius quod mutatur, ſubſtantiam: alterã, ipſius mutationẽ. Non enim idem eſt, corpus quod mutatur, & mutatio quæ ei accidit. Siquidem quod mutatur, ſubiectum eſt: mutatio verò ipſius ex qualitatum viciſsitudine contingit. Nam quum ſumma ei fuerit innata caliditas, ignis efficitur: ſicut & aër, vbi ſummam humiditatẽ acceperit. Simili modo terra fit, vbi illud ſubiectum ſecundum ſuam ipſius naturam qualitatis expers, omnem in ſe receperit ſiccitatem

tem ſine calore:aqua verò, quũ humiditatem. Etenim de primo frigido quæſtio non exigua oborta eſt, quæ quum ad Medicæ artis opera nihil conferat, non eſt vſui: quippe vtilitas eſt in diſquirendo, vtrum corpus hominum ſimplex, ſit, an ex quatuor ſimplicibus compoſitum, vt & Platonis verba declararũt, & nos in medẽdi methodo ſtatim inter initia docuimus. Verùm de hoc etiam poſtea dicetur. Nunc in memoriam reuocabo, quomodo ſuprascripta oratione aduerſatus ſit iis, qui vnum aliquod ex quatuor hominem eſſe, non iis qui quatuor aſſeuerant. Melior itaq; lectio meritò diceretur in prima ſententia, quæ primam ſyllabam dictionum, ἓν ἐὸν, hoc eſt, vnum exiſtẽs, in pronuntiatione adſpirat. Quòd enim nõ vnum ſit, ſed plura hominis na-

Quod elementũ ſit ſummè frigidũ ambigitur.

Vbi etiam verba Platonis prædicta declarantur.

Corpora Hippocrati cõſtãt 4. elementis nõ ſynceris in corpore, ſed per tota miſtis.

tur

turam constituentia, Hippocrates ostendit, non tamen quòd vllum sit ex quatuor elementis syncerum in corpore. Neutiquam enim id dicũt principium opinionis huius principes: vnum verò aliquod præter quatuor, quod est ex ipsis composi tum enuntiant: sicut tetrapharmacum medicamentum, neque ceram, neque picem, neque resinam, neq; adipem, sed vnum quoddam aliud præter hæc, quod ex omnibus contẽperatis prouenerit.* Porrò quũ hæc rursus opinio duplex sit (nonnulli enim quatuor qualitates solas per totas inuicem contemperari, nonnulli verò substantias pronũtiarunt) Peripatetici sanè prioris opinionis autores: secundæ verò, Stoici habentur.† Præterea ante hos Empedocles corporum cõpositorũ naturam ex immutabilibus qua

*Elementorũ substãtias misceri totas in rebus Stoici volunt: qualitates solas Peripatetici. Vide Gal. initio Facul. naturalium.

†Empedoclis de elementis opinio.

quatuor elemẽtis generati arbitratur, ita primis illis inter se cõmistis, vt si quis lęuigata exactè & in puluerẽ redacta æruginẽ, calcitidẽ, cadmiam, misy, ita miscuerit, vt nullũ ipsorũ sine altero poßit contingi.

SCHOLIA.

QVi ignem naturam rerum, & elementum vnicum statuunt, hi aërem, aquam, terram ad rerum generationem concurrere nõ negant, sed hæc negant esse elementa, & corpora simplicißima, cùm ex igne fieri illa autumẽt. Similiter alij, qui vnum aliquod ex reliquis elementis solum rebus subijciũt: reliqua nostra elementa ad generationẽ recipiunt: nõ tamen vt elementa, sed corpora ex suo quæq; elemento prodeuntia, vt per fusionem à calido fiant calida, ignis, aër: ex frigidis, aqua, terra: contrà per concretionem à frigido hæc frigida ex illis calidis, adiuuantibus alijs qualitatibus, à me in elementorum natura dictis.

TEXTVS HIPPO. 3.

AT Medicorum nonnulli dicũt hominẽ esse sanguinẽ solũ, alij bilem esse affirmant, aliqui pituitã.

Comment. Galeni. 3

QVum superiori oratione aduersus Philosophos egisset, qui aut ignem solum, aut aquã, aut terram, aut aërem, naturam corporis nostri esse censent, etiam ad Medicos digressus est, proposita serie, ostendens similiter illis etiam hos aberrare, qui arbitrãtur hominem aut solum esse sanguinem, aut bilẽ, aut pituitam. Manifestò igitur iam distinctũ est, quod in prima omniũ oratione ambiguũ esse videbatur: quòd non iis, qui quatuor elementa ponũt, sed illis, qui vnũ aliquod solum ex ipsis, contradicere semper apparet. Cæterum relinquitur hîc opinio quædã Medicorũ, absurditate Melissi placito respondẽs: eorũ scilicet, qui dicũt hominẽ esse vnũ quod dum mutatur, vnumquodq; eorum, quæ dicta sunt, efficitur.

Bilis nomine hîc vtraq; flaua & atra intelligitur.

SCH

SCHOLIA.

EOdem modo, qui Medici vnũ aliquẽ solum ex quatuor humoribus animal esse statuũt, ex eóq; conformatũ, reliquos humores ad corporis generationẽ concurrere non negant: sed primos esse negant, & natos affirmant ex suo cuiq; humore elementari, caloris aut frigoris beneficio, vt in elementorum trãsmutatione nunc diximus.

TEXTVS HIPP. 4

HI quoq; omnes idem cõcludũt. Nam vnũ esse affirmant, quod vnusquisq; ipsorum volet nominare: atq; hoc vnũ quũ sit, mutare speciẽ & potentiã, quũ à calido & frigido cogitur, fieríq; dulce, amarũ, albũ, nigrum, & omnifarium. Mihi verò neq; hæc ita habere videntur.

Comment. Galeni. 4

MEdicos etiam ait, qui humorẽ vnũ solũ secundum naturam esse tutati sunt, idem inter se, quod Philosophos concludere, indicãtes vnũ hunc humorẽ, quẽcũq; singuli illi statuũt, mutari in alios. Quę ve-

rò adſtruens ſuã quiſq; opinionem aſſumpſit,nullũ ex quatuor humoribus ſecundũ naturã eſſe declarãt, ſed loco ipſorũ alium quendã priorem,ex cuius mutatione hi fiant:dogmatis eiuſmodi ſunt,quod in medica ſpeculatione nequit cõſiſtere, quemadmodũ neq; Meliſsi ſententia in Phyſica.In quibus igitur dicunt,vnum hoc mutari, ſi à calido & frigido cogatur,fieríque dulce, amarũ,nigrum & album:nullum ex his quatuor dicere illi vidẽtur:quibus contradicens profert id nõ ſecũdũ naturam eſſe, ſed aliud quippiam quod in hæc mutatur. Dulcẽ enim ſanguinem, amarã verò flauã bilem,albam pituitam, nigrã verò atram bilẽ,bona ratiõe dicta eſſe,in quæ vnũ illud degenerare inquit,ſi à calido & frigido cogatur. Quod autem ad finem orationis adiectum
eſt

est καὶ παντοῖον, id est, & omnifariũ, ſanies in difficilibus morbis oboriẽtes indicat. Apparet enim & æruginoſa & fuſca bilis (quam vocãt) ἰσατώδης quod iſatidis herbæ id eſt, glaſti colorẽ fuſcũ referat:& quædam rubra & porracea:aliæq; nonnullæ nominis indigæ, præſertim vbi morbus fuerit putridus.

Hæc etiã li. de atra bile.

SCHOLIA.

QVi animal ſanguinẽ ſyncerũ eſſe aiunt, ex eóq; vnico, ceu elemento, conflatum, cùm reliquos humores etiam ſenſu manifeſtos eſſe in corpore negare nõ poßint, eos ex ſanguine ſyncero per calorem aut frigus, qualitates actiuas, tranſmutato fieri autumant. Vt ſcilicet frigore ſanguis fiat pituita alba, dulcis, vel alterius ſaporis particeps: humor melancholicus, niger, acidus: calore autem fiat bilis flaua, vitellina praſina, æruginoſa & amara: aut bilis atra, acris. Harum autẽ tranſmutationũ vt poſterior à calore fit quotidie, ita prior vix in viui animalis corpore fieri poßit: præſertim quæ eſt in ſanguinis ad pituitam reditu. Sanguis enim vt dulcia reliqua, à calore fit moderato: pituita à remiſſo: bilis flaua, vt amara omnia: bilis atra, vt acria omnia:

ab immedico. Gal. lib. 1. Facult. nat. Eodẽ modo, qui pituitam, aut bilem alterutram esse animal statuunt, eam in alios humores se calidiores, si qui sunt, calore trãsire: se frigidiores, frigore mutari existimant. Cur verò sanguini addidi syncerum, postea Galen. commentarius te docebit. Vnusquisq; autem humorũ 4. formam mutauerit, si calore aut frigore in humorẽ aliũ transierit: & facultatem quoq; mutauerit cũ temperamento. Nã cùm sanguis (verbi gratia) erat, calidus erat, & humidus: cùm pituita factus est, frigidus & humidus: cùm bilis alterutra, calidus & siccus, magis & minus euasit. Eodẽ modo in mutua aliorum humorũ, secundum alios trãsmutatione. Neq; humor in alium transmutatus, formam eius & facultatem tantùm recipit, sed & consistentiam, colorẽ, odorem, saporem, leuitatẽ, & qualitates cæteras: vt ex sanguine bono, crassi & tenuis medio, rubicundo, odorato, dulci, leuiculo, fit illis pituita crassa, alba, inodora, vel gra ueolẽs, dulcis, insipida, acida, salsa, grauis. Ex eodẽ, bilis flaua, amara, leuißima: bilis atra, acris, grauißima. Eodem modo factos ex alijs humoribus alios, totam eorũ naturam induere existimãt, in quos transeunt, priore relicta. Duos autẽ humores à sapore vocauit, dulce sanguinẽ, amarum bilem flauam: reliquos duos à colore, album pituitam, nigrum, atrã bilem, quòd his nominibus facilè noscantur naturales hi humores, licet

etiam

etiam bilis flaua dici poterat: sed quia eius etiam naturalis color est multiplex, nec semper est flaua, sed interdum pallida, interdum rufa, semper tamen est amara: vt pituita semper alba, si naturalis est, non tamen semper dulcis, sed etiam insipida, & interdum acida: ob id illam à sapore, hanc à colore appellauit.

TEXTVS HIPP. 5

MEa verò sentẽtia, si homo esset vnum, nunquam doleret. Neque enim esset, à quo dolorem perciperet, si homo vnum foret. Si verò dolebit, necesse est etiam remedium vnum esse.

Commenta. Galeni. 5.

SVperius rationes ipsas repræhẽdebat, quas qui hominẽ vnũ esse arbitrantur, adducunt: indicans nõ solùm demõstrationis expertes, sed etiam † improbabiles esse. In præsentia opinionem illorũ subuertit, qui hominem vnum esse autumant. At idem non est, aut rationem pro-

† Hic locus emendat alium commẽtario ante hunc tertio.

ductam coarguere, aut opinionẽ, vt non veram, criminari. Quippe fieri poteſt, vt vera ſit opinio, non rectè autem à quibuſdam ſit defenſa, eóq; nõ opinio, ſed hi qui ipſam tuentur, coarguendi ſunt. Nũc igitur relictis eorũ rationibus, opinionem ipſam ſolã coarguit, oratione per ſe nõ ſolùm validiſsima, ſed breuiſsima quoq; vſus. Si enim homo vnũ eſſet, non doleret: quã ſententiã coarguere dixi etiã eos, qui elementa indiuidua, incompactilia, & minima ſtatuunt. Vnũ nanque ſpecie etiã his autoribus eſt id, quod reuera eſt. Sic autẽ nominatum eſt primũ corpus generationis, & corruptelæ expers: quandoquidem alia omnia ex illius compoſitione generationem capiunt. Naſcetur enim ex his opinio, generationem noſtrã in certa æternorum illorũ corporum

Vt Anaxagoram & Democritum.

rum

rum compoſitione cõſtituens:quẽadmodum Hippocratis placitũ in quatuor elementorum temperatura,quod Ariſtoteles & Stoici admiſerunt. Quòd autem ſi vnũ ſimplex elementũ eſſet,nõ doleret corpus ex huiuſmodi elemento cõſtructum, indiciũ eſſet, ait,nullũ aliud exiſtere ſecundum,quod in ipſum poſsit agere.Nõ enim iam fieri poteſt,vt vnum illud corpus à ſeipſo patiatur. At ſi etiam aliquis dolere ipſum conceſſerit,ex ſe patiens,remedium ſimplex erit. Quum enim multa in eo non ſint,multos curandi modos eſſe non licet.

Hippocratis opinionem de elementorũ 4. miſtione ad generationẽ rerũ, recipit Ariſtoteles & Stoici.

SCHOLIA.

HAec atque proxima libri huius pars propè ſola declaratur fuſiſsimè à Galeno libro de Elementis Hippocratis. Vbi etiam vim huius conditionalis ſyllogiſmi obiter declarat: & tria faciundo dolori omnino eſſe neceſſaria, impreſſionem ab alteratione ſubita, vel ſolutione conti-

nui in partem sensu tactus præditam, cuius à facultate animali fiat apprehensio. Sub doloris autem nomine, voluptatem illi contrariam, morbos quoque & morborum sanationem intellige. Eadem ratione Plato mundum (quia vnum est, & omnia) morbi & senij expertem dicit, in Timæo. In quibus verò libris absolutam elementorum corporis nostri cognitionē docuit Galenus: lege in libro de ordine librorum suorum.

TEXTVS HIPP. 6.

NVnc autem multa habentur: multa nanque in corpore insunt, quæ quum à se mutuò præter naturam calfiunt, refrigerãtur, siccantur, & humectãtur, morbos pariunt. Quare plures morborū species, plura item remedia ipsorum habentur.

Commentar. Galeni. 6.

SVperiore oratione eos qui hominem vnum esse dicunt (quod est idem, ac si dicas, compositorium ipsius elementum vnum esse) ex absur

ſurditatibus quæ opinionem conſequuntur coarguit. Non enim doleremus vnquam, ſi nullum omnino ſecundum eſſet, quod vnũ illud poſſet afficere: deinde etiamſi hoc donauerimus, remedium eſſet vniforme, nõ multiforme. Præſenti verò ſententia expoſuit ea, quæ oſtenſurus eſt primariò eſſe, à quibus alia omnia procreantur. * Hæc autem ſunt calidum, frigidum, ſiccum, & humidum: quæ quum inuicem mediocriter fuerint temperata, animal ſanum eſt. † Quum autem ſe mutuò calfaciunt, refrigerant, exiccant, & humectãt, dolores generare ſolent, non vno curationis modo conſaneſcentes. Nonnulli ſiquidem ipſorum terminantur, ſi particulæ quæ dolent incaleſcant: nonnulli, ſi refrigerẽtur, aut ſiccentur, aut humectentur, deſinunt. Traditum de his ſuſ-

** Hæ qualitates primæ 4. pulchrè declarantur in Constitutione artis medicæ, & quæ has ſequũtur, mox dicendæ.*

† Alteratio ſubita à calido & frigido maximè

dolorifica: à ſicco & humido per ſe parũ dolorifica.

fuſiſsimè eſt in opere de ſimplicium medicamentorũ viribus,& in medendi methodo: quanquàm nihil mali ſit, etiam nunc paululum aliquid dicere, quum manifeſtam habeam indicationem, nos à calido, frigido, humido,& ſicco dolere & curari. Quis enim non nouit dolorem oboriri, quum in hyeme vehementi quis foràs progredi tentauerit? quis, quum in æſtu vehementi? quis non dolet ſitiens? aut quis potu repletus? quum ſitis quidem fiat nobis ſicceſcentibus: repletio autẽ nimia contrariam diſpoſitionem efficiat.* Et inflãmationes, omnéſque tumores præter naturam dolorifici fiunt, interim à ſuperflua humiditate, in particulam influxa, interim quòd humores aut calidi pręter naturam, aut frigidi exiſtant. Quinetiam curationes, corporum qui

** Dolent nobis tumores præter naturã ſolutione continui, per tenſionem à repletio*

quidem quæ nimia humiditate re- ne, aut al-
pleta sunt euacuatione peraguntur: teratione
eorum verò quæ magis quàm pro subita,
naturæ modo siccescunt, humido- aut vtraque.
rum adhibitione: sicuti etiam qui ex perfrictione dolet, si excalfiat: qui ex immodico calore, si refrigeretur: ostensum verò à me est, etiam Aph. 22. lib. 2.
medicamenta omnia calefaciendo, aut refrigerando, aut siccando, aut humectando operari. Nam primariæ hæ qualitates sunt, & effectrices & alteratrices corporum, vt in primo de Elementis secundum Hippocratem explicauimus. Has autem sequuntur gustatrices facultates, quarum nomina sunt, adstrictio, austeritas, acerbitas, amaror, salsedo, acrimonia, acor, dulcedo, & vnctuositas. Item coloris qualitates versantur in albedine, nigredine, rubore, & consimilibus. Ta-

ctri

Odorum differentiæ peculiaria nō habēt nomina, vt docet Theoph. toto propè libr. 6. de Causis plātarum.

ctrices in duritia, mollitie, friabilitate, & lentore. Gustatoriis autem pares numero sunt & olfactoriæ: sed nō habent speciei nomina. Nam odorū in fragrātia & fœtore differentia est: hoc ipsum differentia cōuenienter putari queat, diciq; multas species consequi. Hæc sanè sermonis capita sunt: quædam ipsorum in libro de Elementis ex Hippocratis sententia compræhensa sunt, quædam in opere de Simplici medicina. Vulgus autem demonstrationes discere detractat: aduersatur autem iis quæ ignorat, promptius: è cōtrario studiosi & veritatis amatores faciunt, qui demōstrationes diligēter ediscunt, tardè autem ac inuiti contraueniunt.

*

SCHOLIA.

Sic legendum censemus in exemplari Græco, aut repetendũ, dolorifici fiunt, si tumores dolorifici cum Græco legas, ad excludendum indolentes tumores, vt œdema, scirrhum, gangrænã, spacelum: & qui etiam natura dolorifici, indolentes tamen sunt, quia partem occupant sensu tactus carentem, vt hepar, lienem, renes, pulmones, cerebrum, glandularum alterum genus, ossa, ligamenta, adipem. Nã hic de causis doloris agit, præsertim alteratione: nõ de causis phlegmones, aut alterius tumoris fluxione, præsertim de qua lib. 2. de Diff. febrium, & lib. Method. Inflammationes autem dixit, omnésque tumores, nõ autem, reliqui tumores, vel omnes reliqui tumores, quia inflammatio sicca & sine affluxu materiæ etiam dolorifica tumor non est.

TEXTVS HIPP. 7

CAeterùm mea quidem sententia, qui hominem sanguinem solum esse, & nihil aliud affirmat, is iure demonstrare deberet, † eũ non mutare speciem, neque omni modo variũ effici: aut si hoc minus posśit saltẽ tempus anni aliquod, aut vllã hom

† ἀυτὸν μεταλλάσσοντα, *quod ad hominem*

hominis ætatem oſtẽdere, qua homo vnũ exiſtens, ſanguis ſolus appareat. Veriſimile enim eſt, tempus ſaltem aliquod eſſe, quo id vnũ elementũ in ipſo appareat. Eadẽ contra illos pronuntio, qui pituitam, qui bilem, hominem eſſe aſſeuerãt.

refert: rectius in neutro ad αἷμα, id eſt, ſanguinẽ referretur, qui mutat ſpeciẽ & in alios humores trãſit calore aut frigore, vt inichoras, ſeu ſaniẽ & varias bilis ſpecies.

Comment. Galeni. 7.

HIc quoque adhuc contra illos agit, qui hominem vnum eſſe tuentur, quod per initia ipſum pro poſuiſſe dixi: ac primũ repræhendit eos, qui ſanguinẽ ipſum eſſe ferunt. Maximè enim cõueniebat (inquit) ſanos homines ſanguinem, citra vtranque bilem & pituitã, in corpore obtinere, ſi natura eſt ſanguis ſolus in corpore. Deinde verò etiã ſi admittatur, bilem aliquando & pituitam colligi, ætatem ſanè vnam aliquam aut anni tempus inueniri, quo ſanguis ſolus ſine aliis humoribus

ribus in corpore esset. Pari modo coarguit eos quoq;, qui hominem esse pronuntiant aut bilem, aut pituitam, hoc est * naturam esse hoc solum: putantes in hoc & ex hoc humore primam generationē prouenisse.

*Sustuli è Græco κατὰ, quod hic non cōuenit magis quàm linea ante sexta.

SCHOLIA.

SI animal esse sanguinem, vel pituitam, vel alterutram bilem arbitrati, aiunt id vnum formam & facultatem per calorem aut frigus mutare, vti prius docuit: cur hic affirmat illorum muneris fuisse, sanguinem vel alium humorem demonstrare, non mutare formam & facultatem, & cætera? Quoniam si nullā aliam rem esse animal existimabant, quàm sanguinē, vel aliquem ex humoribus, is humor in animali debebat permanere saltem per aliquam ætatem, vel anni partem, præsertim ipsi humori familiarem, vt sanguini adolescentiam, ver: pituitæ senectutem, hyemem: bili flauæ iuuentutem, æstatem: melancholiæ ætatem declinātem, autumnū. Quòd sanos homines dicit Gal. in commentario, videtur innuere elementum id vnicum fuisse in sanis, calore verò aut frigore in alios humores mutatum in ægris.

TEXTVS HIPPOC. 8

EGo ſiquidem quæcunq; hominem eſſe dixero, & ſecundum legem & ſecundum naturam in eo ſemper ineſſe ſimiliter, & in iuuene & in ſene, & frigido anni tempore, & calido demonſtrabo: atque ſigna neceſsitatéſq; edam, ob quas ſingula in corpore tum augeſcunt, tum contabeſcunt.

Comment. Galeni. 8.

OStẽſurum ſe promittit elementa, quæ ab ipſo ſtatuũtur, *perpetuò in corpore contineri, & ſecundum ætates, anniq; tempora habere tum incrementum, tum contabeſcẽtiam, quod eſt imminutionẽ. Secundum legem quidem eſt, quod homines exiſtimant, & opinantur, quũ veteres ita nominare conſueuerint: ſecundum naturam autem, id quod ſecundũ rerũ veritatem eſt.

** Perpetuò, id eſt, à vitæ initio ad mortẽ, & per omnia anni tẽpora.*

SCHOLIA.

Ridiculus est, qui aliquid affirmat, quod demonstrare non poßit, id est, cuius fidem facere non poßit per rationem vel experientiã: quæ duo sunt fidei faciendæ apud omnes homines instrumenta. Demõstrationis enim omnis principia sunt ea, quæ sensui & intelligentiæ manifesta se exhibent. Inter quæ notiones de re aliqua omnibus hominibus confessæ & receptæ (aliàs enim principia iure non dicerentur) ad demonstrationem sumuntur, ceu axiomata quædam prima & indemonstrabilia, omnibus hominibus ob id confessa, quòd intelligentiæ euidentia sunt, & fidem facientia ex se, non ex alijs, neque per demonstrationem. Se igitur hominis elementa demonstraturum promittit Hippocrates, argumentis ex notione omnibus hominibus confessa sumptis, non rhetoricis, & verisimilibus, sed veris & necessariò concludentibus: adducturúmq; signa, quibus cognoscas vnumquemq; humorem (quæ hominis elementa ponit) singulatim augeri in corpore, & minui per anni tempora quatuor, & omnes ætates (sub contrarijs enim temporibus hyeme & æstate media: ver & autumnum: vt sub ætatibus extremis, medias intelligit, vt pòst patebit) ídque necessariò contingere ostendet. Cùm tamen ab aduersarijs vnicum humorem elementum statuentibus postu-

larit eum ostendi solum saltem vna parte anni, vel vna ætate. Signa autem humorum ex Tabulis nostris Semioticis colliges. Libellus Hippocratis de Lege mutilus videtur, & in quo pleniorē legis significationem desyderare possis: quam iterum explicat Gal. pag. 34. in principio, & in fine. Natura hic est rerũ veritas, quod hæc vbiq; sibi cōstet, vera & certa omnia faciat, nihil fucatum, vnde natiuum calorem, colorem, & alia permulta, pro vero, non acquisititio, non fucato, dicimus. Ars enim quãuis magna ex parte imitetur naturam, vt cap. 2. lib. 2. Physic. ait Arist. tamen nunquam assequitur, sed interdum mentitur: vnde artificialia medicamẽta, & alia quæ natiua esse possunt, damnamus ceu fictitia.

Natura rerum veritas.

TEXTVS HIPP. 4.

PRimùm igitur necesse est, generationem ipsius non ab vno esse profectã.* Quomodò enim aliquid quod vnum est, generare aliud poterit, nisi alicui immistum fuerit?

** Hoc argumento vtitur Plato in Timæo de mũdi generatione.*

Comment. Galeni. 9.

HIppocrates igitur semper ea quę manifestò apparent, sequitur: eóque nunc dixit, nihil ab vno gener

generarari, nisi aliud quippiã extrinsecus admiſceatur, atq; id temperaturæ ſymmetria cum ipſo conueniens. Nonnulli autem Philoſophi naturales appellati, haud ſcio quomodo opinionem abſurdã pronuntiare ſunt auſi, quæ omnem naturalem ſpeculationem euertat. Nã qui omne dicit eſſe vnũ, tollit oratione *vniuerſam generationem. Si enim vnũ exiſtit id quod natũ eſt, nõ erat priùs, ſicut neq; erit paulò pòſt. Neque enim Thales, neque Meliſſus, neque Heraclitus prius erant, aut nunc ſunt. An igitur verè aliquis dixerit hos viros nõ fuiſſe? An fuerunt quidem, & annis non paucis ſinguli vixerunt, non erant autem quo tempore viuebant? An quòd eſſent ipſi illo tempore, concedemus: eos autem qui erant, non eſſe dicemus, quum eſſent? Atqui ſi eſſe

*Quin et medicinã, vt docet Galen. in Elemẽtis.

quis ipſos fateatur, fuiſſe quoq; fatebitur. Quomodo autẽ platanus, lapis, & leo non erant olim, generationem habentia & interitum. Si autẽ eſt generatio eius quod prius nõ erat, neceſſariũ eſt ipſam ex ſubſtantia quadã ſubiecta proueniſſe. Hanc autẽ videmus nõ poſſe ipſam per ſe ſolam quicquam generare. * Nam ſtirpium ſemina humiditate & calore mediocri externo ad aliquid generandũ indigent. Quòd ſi ſemen ſolũ generare poſſet, nullius alterius externi auxilium requirẽs, haud differret vel breuiſsimo tẽpore generationẽ, ſed ſtatim pullularet. † Verùm ſæpe nõ mẽſem ſolum, ſed etiam annos haud pauca ſemina permanere videas. Non enim ex ſe tantùm generãdi facultatẽ habent, ſed * externũ quoddam præſidium poſtulant: quod non ſimpliciter & ſolum

Sol et ſemen gignũt, plãtã, ſi humiditas adſit ad ſeminis corruptionem.

Nam finis eius eſt ſimile producere.

† Milium et panicũ, quò vẽtinõ perueniunt, condita annos centũ durant.

** Calorẽ & humorem.*

ſolum tangat ea, verùm aliquã tangendo virtutem tradat, quæ intrò in totum quod tangitur, diſtribuatur. Si iam ſemen inter generãdum alterationem per totum ſubire videtur in arboribus, herbis, & cunctis ſtirpibus, multò magis in animalibus euidenter apparet, neq; ex maſculo ſolo, neq; ex fœmina ſine miſtione aliquid poſſe procreari.

SCHOLIA.

Hic locus in Philoſophos eſt ac medicos, vnicum hominis elementum, puta ignem vel aërem, &c. ſanguinem, vel bilem, &c. ſtatuentes. Hoc autem thema illis contrarium, & ex natura ſumptum, fuſiſſimè & apertiſſimè poſteà probat, vt hic verbis opus non ſit. Hanc etiam opinionem de vnico elemento, Ariſtoteles confutat libr. 1. de Generat. cap. 1. Quod autem alterius miſturam & coitum & ſeminum vtriuſque ſexus in animali miſtionem requiri affirmat, ad animalis perfecti & ſimilis gignentibus generationem, veriſſimum eſt.

Neque contra dogma hoc pugnat mola etiam ex sola muliere nata. Nã caro est informis, nõ animal, neq; oua ὑπηνέμια, id est subuentanea, ex gallina sine galli coitu nata. Nam hæc imperfecta & ad generationem inepta sunt, cùm nõ habeant germen galli semen, à quo esse debet mouendi & generandi initium.

TEXTVS HIPP. 10.

DEinde neq; generant, nisi eiusdem generis quæ miscentur, sint, & eandem vim obtineant: neq; similia nobis effici poterunt.

Comment. Galeni. 10.

NOn solùm ex vno generari aliquid non posse dicit, sed ne ex duobus quidem, nisi eiusdem generis sint quæ miscentur, hoc èst, familiaritatem substantiæ habentia: *id quod manifestò apparet fieri in diuersi generis animalium generatione, quemadmodum in equis habet & asinis, vulpibus & canibus: nam ex horum mixtione generatur anim

** De his abũdè initiò libr. 3. de Vsu partium.*

animal, veluti ex duobus mixtum. Quæ autem naturam habent multùm inter ſe differentem, neq; ſi miſceantur, vnquam generare aliquid poſſunt. Porrò quod ad orationis finem adiectum eſt, Neque ſimilia nobis efficiantur: libri interpretes, ceu manifeſtum, prætereũt. Obſcurum autem eſt, aut non probè à ſcriptore interpretatum, aut à transcriptoribus vitiatum. Quod autem mihi videtur velle innuere, id eſt: etſi non ſimile ſpecie ſit animal alterum, quod alteri miſcetur, communionem certè quandam naturæ eſſe dicit. Non enim ſimilia * nobis effici poterunt, hoc eſt, non generatio ex congreſſu fieri poteſt animalis, iis quæ procrearunt, ipſum, ſimilis. Forſan etiam oratio non ſic habebat, Neque ſimilia nobis efficientur.

*Nobis id eſt, alterutri progenitorũ: enallage eſt perſonæ.

SCHOLIA.

Quodlibet in quoduis non transmutabile, sed vt transmutantis cum transmutando aliqua sit similitudo, necesse est. c. 5. lib. 1. Physicorum, & fol. 3. pag. 1. de Partibus animaliũ. Ob id nec animalia cuiuscunq; generis, aut secũ, aut cum alio genere coëuntia semper generant. Sed quæ semen habent prolificum, & cum alterius semine quadantenus affine, illa generant animal eiusdem generis, si erant congenera: aut mistæ cuiusdam speciei, vel diuersæ ab vtroque parente, si erant diuersi generis: quod ostendit mulus ex asino & equa. Sic patre lupo gaudet, matre lycisca cane. Eadem vis in plantis apparet, quando non omnis fert omnia tellus, sed quibus plantis aut plantarum seminibus, vel surculis solum & cœlum est familiare, hoc est, humoris plantam nutrituri affinitas in tota substantia, quantitate, qualitate, & caloris huic plantæ familiaris modus. Quæ duo plantis generaturis sunt necessaria, etiamsi misceantur insitione aut inoculatione. Nam pyrus & pomus mistæ germinant, & fœcundam arborem vtriusq; nominis & naturæ participem constituunt, & quæ aliæ similia habent semina. Arbor Persica & Amygdala simul insita fructũ ambarum mediũ & participem producunt, & quæ nucleos habent quadantenus similes. Hæc autem differentia po-

mis,

nis, pyris, prunis, &c. inter se, ac in suo genere minus apparet, licet in alias pomi, vel pyri, vel pruni species transitur, in diuerso genere arboris clarius naturæ commistio cernitur. Similitudinis fœtus cum progenitoribus causæ & exempla Plinius lib. 7. cap. 12. affert ex Arist. cap. 6. lib. 7. Historiæ animalium, & cap. 3. lib. 4. de Partib. animalium.

TEXTVS HIPP.

RVrsus nec generatio futura est, si nõ calidum & frigidum, humidum & siccum mediocriter inuicem, & temperatè & æqualiter se habuerint, sed alterum altero longè præpolleat, & valentius imbecilliori.

Comment. Galeni.

ANtea quidem dixit, non posse prolificam fieri generationem vllius, nisi quæ coëunt, eiusdem sunt generis: non tamen eorum quæ generis sunt eiusdem, congressus necessariò generat.

Porrò

Aphoris. 62. lib. 5. Porrò hanc orationem in Aphorismis integrè persecutus est, vbi inquit, Quæcunque frigidos densósque habent vteros, non concipiunt: & quæcunque præhumentes vteros obtinent, nō concipiūt: nam in his genitura extinguitur. Ad hæc, quæ siccos magis & ardentes. nam alimēti inopia semen corrumpitur. Quæ verò ex vtrisque temperamentum mediocre habent, fœcundæ fiunt. His verbis docet, quas ob causas mulieres steriles fiant. Indicat autem id etiam, quod hoc consequitur, de quo & nos alibi, & alij plerique ante nos scripserunt. † Innuit & Plato, quum diceret non exiguā esse artem, qua quis nouit & viros & mulieres temperamentum inter se conuenientes ad generandum coniungere. Quæ enim de vteri temperamentis dixit,

† ἐδήλωσε.

ead

eadem etiam de feminis temperatura intelligere conuenit: siquidem & hoc humidius est quàm conuenit aliquãdo, aut frigidius, aliquãdo siccius, aut ardentius. Familiare autem est ficciori vuluæ humidius semen, humidiori siccius: quemadmodum & calidiori frigidius, frigidiori autem calidius. De quibus vberius in Libro de ratione procreandi liberos, pertractamus. Nũc satis est scire, quòd neque aliquid potest ex vno gigni, neque ex duobus, aut etiã pluribus coëuntibus, nisi familiaritas mutua sit, & commoderatio quædam temperamenti, quæ ex coëuntibus perficitur, id generari potest.

Pulchra de causis fœcũditatis & sterilitatis viri & fœminæ.

Hic liber desyderatur.

SCHOLIA.

Haec pars à Gale. tum hîc, tum Apho. 62. lib. 5. abundè declaratur, & vera probatur non in animalium seminibus tantùm, sed etiam plãtarum. Ex his enim quædam solo calidiore,

diore, alia frigidiore: item humidiore nonnulla, alia sicciore gaudent: enecantur contrario, aut in eo prorsus non germinant. Cuius rei exẽpla habes plurima apud Theophrastum & Dioscoridem. Quòd autem quædam priuatim corporũ viri & fœminæ dissociatio ac dissimilitudo, inter se sit sterilis: si verò cum alio alteruter iungatur, gignat, testimonium de Augusto & Liuia profert Plinius lib. 7. cap. 13. vnà cum aliquot Aristotelis locis nuper citatis.

TEXTVS HIPP. 12

QVapropter quomodo rationi consentaneum est, ab vno aliquid generatum esse, quum ne à pluribus quidẽ generetur, nisi probam temperamenti inuicem communionem sortita sint?

Comment. Galeni. 12

REliqua huius sententiæ ex prædictis sunt conspicua. Meminisse autem oportet nominis in ea dicti, κράσιος, id est, temperamenti, quod [Ionico more] κρήσιος protulit, quoniam primus, quorum memor

moria ad nos peruenit, Hippocrates elementa ἐκεράννυσθαι, id eſt, contemperari docuit, quemadmodum & paulò antè oſtenſum eſt. Atque hac ratione differt ab Empedocle. qui ex eiſdem elementis, quibus & Hippocrates, nos, aliáque omnia corpora, quæ circa terrã ſunt, conſtare dicit, non tamen inuicem con temperatis, ſed per exiguas partes commiſsis, & ſe contingentibus. Quòd verò & hæc opinio ſimili modo coarguitur, quo illæ opiniones, quæ ſenſile corpus ex inſenſilibus impatibilibúſq; primis corporibus generant, in commentario de Elementis ex Hippocratis ſententia oſtenſum eſt: vbi etiam omnium ferè phyſicarum opinionum mentionem fecimus, quæ de primis principiis, aut elementis extiterunt.

Empedoclis error capi. 4. 1. lib. phyſicorum.

TEXTVS HIPP. 13

QVum igitur talis & hominis & aliorum omnium natura sit, hominem † non ex vno conflari elemẽto, necessariò colligimus, sed singula quæ ad generationem conferunt, vim aliquã in corpore obtinere, qualem contulerunt.

† Μὴ ἓν ἄναι.

Comment. Galeni. 13

QVum Hippocrates prædixisset, nisi calidũ frigido, & siccum humido mediocriter cõtemperatũ sit, corporum videlicet generabiliũ generationes haud posse fieri: nunc sanè manifestò non hominis tantùm, sed omnium etiam quæ generationẽ corruptionémq, corporis sustinẽt, ex ipsis generationẽ esse pronuntiat. Nam ex calido, frigido, sicco, & humido omnia creantur, eóq; communia omniũ esse hæc elementa: propria autem hominis

nis naturæ, ſanguinem, pituitã, bilem flauam, & nigram. Quanquam ne hæc quidem propria rectè dixeris: vt quæ omniũ ſanguine præditorum animantium ſint cõmunia. Conſtat autem [cuilibet] & horum ſingula ex primis creata eſſe quatuor [elementis] † quæ à qualitatibus nominantes, humidum, ſiccũ, frigidũ, & calidum dicimus. Propria verò ſubſtantiæ ipſorum nomina ſunt, ignis, aqua, aër, terra. Neminem ſiquidem latet, elementa ſecundum ſimplices, & miſturæ expertes qualitates nuncupari: quum caliditas ſumma igni inſit, *quemadmodum & humiditas aëri, † frigiditas aquæ, ſiccitas ſumma vnà cũ dẽſitate & frigiditate, terræ. * Quo modò igitur nonnulli arbitrantur Hippocratem, humidum, ſiccum, frigidum, & calidum elementa ſta-

† *Sic initio ſanitatis tuendæ vocat.*

* *Aër humidiſsi.*

† *Aqua frigidiſs.*

* *Hic textus Hippocratis eſt de 4. mũdi elementis, non de 4. humoribus, qui ſenſui sũt manifeſta hominis elemẽta, cali. frigi. humi. ſic.*

tuere?hæc enim in homine apparere:ignem verò,aquam,aërem,& terram non admittere?eò quòd neque horum aliquod in humano corpore conſpiciatur? haud tamen aſſequentes intellectu,ea quæ in corpore apparent,calida, frigida, ſicca, humida eſſe apparentia & viſibilia corporis elementa. Quæ quis audebit elementa omnium corporum eſſe communia pronuntiare?Nemo indubiè,etiã indoctiſsimus. Quum Hippocrates dixit, Neceſſe igitur eſt, quum talis & aliorum omnium, & hominis nátura ſit: non putandum eſt, nunc ipſum dicere ea,quæ in corpore humano videntur,calida, frigida, ſicca, & humida,ſed quatuor elementa,quę ſummas & expertes miſturæ qualitates obtinent:ex quibus inuicẽ cõtẽperatis omnia quæ in medio ſunt,cor
Omnia ex elementis
por

pora gignuntur, per excellentiam, non propriè, appellata calida, frigida, ſicca, & humida. Nã ſi hæc iam contemperata, elementa ſtatuamus, ea quæ ſummas habent qualitates, haud noui quid eſſe dicemus. Iam proxima oratione clarius adhuc ſuam ipſius ſententiam explicat, ad quam modò digrediamur.

cõflata à præpollẽte in miſtione elemẽto, calida, fri. humi. ſic. vel tẽperata & media dicuntur.

SCHOLIA.

HAe concluſiones ſunt ex ſuperioribus manifeſtæ, & ex Galeni commentario. An verò elementa vires retineant eaſdẽ miſta, quas ante miſtionem ſortita ſunt, minus tamen euidentes, ſuis actionibus à contrarij elementi actione oppugnatis & fractis, quàm dũ ſyncera ſunt: vel potius vires omnino eaſdem non retineant, ſed à contrarijs obtundantur, & quadantenus extinguantur, ita vt earum ſeruetur ſolũ, quãtum ad probam diuturnámq; elementorum miſtionem & vitam ſeu miſtorum durationem conducat, præſentis non eſt inſtituti altius inueſtigare. Quærendum potius eſt, quum qualitates quatuor ſummæ ſingulis elementis ſingulæ debeantur, vtri ſumma cõueniat humiditas, aërine-

vt hoc commentario Galenus, & Aph.14.lib.1. & Aristoteles cap.3.lib.2.de Generatione: an aquæ, vt Gal.postea, & cap.8. & 30.lib.1.simpli. & lib.1.de Elementis, & initio temperamentorum & Aristoteles cap.4.lib.4. Meteórwn. Potest enim aër humidißimus dici, quòd essentiæ suæ tenuitate, caliditate, leuitate, raritate, diaphania, corpora quantumuis densa, crassa, dura, citò & altè penetret, atque humectet, ac figuram suam ægerrimè teneat: Aqua verò humidißima, quòd quantumuis ab igne, vel terra siccetur, tamen insitam humiditatem amittit nunquam, & siccitatem nunquam induit, quod aëri æstiuo accidit. Est autem reuera aër liquidißimus, aqua humidißima.

TEXTVS HIPPOC. 14.

RVrsus quando corpus humanũ interit, necesse est singula ad suã naturã secreta reuerti, humidũ ad humidum, siccũ ad siccum, calidum ad calidũ, frigidũ ad frigidũ.

Comment. Galeni. 14

SIngula prædicta elementa, vbi homo vita defungitur, secreta inuicem ad suam naturam recedere

Vt in libris de Generat. & corruptione docet Arist. & lib.4.meteórwn.

Elementa rerũ omnium cõmunia hîc

re commemorat, quæ calidum, frigidum, ſiccum, & humidum vocabat: non ſanguinem dicens ad mundi ſanguinem, pituitam, ad pituitā, bilem ad bilem, arteriam ad arteriam, carnem, ad carnem, venam ad venam, neruum ad neruum abire: ſed ſingulorũ horum calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, ad cõmunia omnium elementa diſcedere. Neruus enim nimirum ex calido, frigido, ſicco, & humido, elemẽtis ſcilicet, compoſitus eſt: quippe non ex alio neruo, ſicut nec vena ex alia vena. quoniam ne cogitari quidem poſſunt per tota inuicem contemperata eſſe hæc, caro, vena, os, arteria, & aliæ particulæ. Vult autem ipſe, ſi paulò antè dictorum meminimus, per tota inuicem, calidum, frigidum, ſiccum, & humidum eſſe contemperata. Quare

vti ſuprà intelligit, nõ humores, nec partes ſimilares, hominis propria elementa.

non hæ, quæ palàm in corpore humano videntur, calidę, frigidæ, ſiccæ, & humidæ, particulæ, hominis naturæ elementa ſunt, ſed illa quæ has ipſas cōpoſuerunt generarúntque. Hæc autē ſunt aqua, ignis, aër, & terra: de quibus abundè in opere de Elementis ſecundum Hippocratis ſententiam diſputauimus.

SCHOLIA.

VTi ſimplicia quædam, tum alimenta, tum medicamenta ex his dicimus ſubſtantijs, etiam interdū facultate pugnantibus, cōſtitui: in quas illa per corruptionē abeunt, vt lac ex butyro, caſeo, ſero: rhabarbarum, aloën, abſinthiū, ex ſubſtantia craſſa, terrea adſtringente, & alia per aduſtionem à calore tenuata, amara, tergente, cholagoga, id eſt, bilem purgante: Sic hominis, & rerum aliarum elementa priùs per generationis naturam probauit, nunc per corruptionem generationi contrariam confirmat, vti compoſitio per reſolutionem, & additio per ablationem probatur. Neque repugnat, quod in ſacris homo terra dicitur, & in terram morte reuerti. Nam plurima & nobis notior portio noſtri terra

ta est: quæ in sarcophagis inuenitur: cæteris in suam ceu familiam iam tum reuersis.

TEXTVS HIPP. 15.

HVjusmodi autem tum animantium, tum aliorum omniũ natura est.

Commenta. Galeni. 15.

HVjusmodi, inquit, non modò hominis, sed etiam aliorum omniũ natura est, ex calido nimirũ, frigido, sicco, & humido, simplicibus & summis contemperata. Nam quę in medio cõsistunt, omnia temperamẽtũ ex his obtinuerũt. Igitur ab intellectu alienũ est dicere, eorũ quę in medio habẽtur, temperaturã ex iis quæ in medio sunt, fieri. Hoc aũt nõ percipiũt se dicere, qui ex eo quod in corpore cõspicitur, humido, sicco, calido, & frigido naturã nostrã cõstare tuẽtur. Adhuc absurdius est, si & aliorũ omniũ animan-

tium ſtirpiúmq; naturam ex his cõſtari dicamus. Hippocrates enim clarè dixit in oratione propoſita,& aliorum omniũ talem eſſe naturam. Illi verò haud ſcio quid dicent,quũ fiçi ſemine in terram deiecto,verbi gratia, maxima arbor enaſcatur. Abſurdum eſt dictu,nõ ex terra & aqua,ſed aliunde talẽ ipſi ineſſe naturam. Atqui terra ſui ratione ſummè eſt frigida,calorem verò ficus, quo viuit,multum obtinet,eóque etiamſi in valida hyeme perfrigeretur,non emoritur. Liquet igitur corpus fici nõ ſolùm ex aqua & terra conſtitutum eſſe,ſed etiam igneę naturæ particeps euaſiſſe. Quis autẽ ignorat & aëris partem recepiſſe? ſiquidem lignũ ipſius palàm eſt non terra ſolùm,ſed & aqua leuius. Ex quatuor itaque & ficus conſtat:& ſi hæc inde cõſtat,fructus etiã tum ipſi

Plantas ex 4. elementis cõſtare probat,et noſtros humores ex plantis.

ipsius, tum alij omnes. Sunt autem triticũ, hordeũ, fabę, aliaque cerealia semina, fructuum particulę: atq; ipse idcirco ex quatuor consistunt, terra, igne, aqua, & aëre. Quoniam verò ex fructuum stirpiúmque esu humores qui in nobis sunt, generantur, & hi nimirũ primam generationis originem habebunt aquã, terram, aërem, & ignem. Sed, vt dixi, hæc etiã in cõmentario de Elementis secundũ Hippocratẽ demõstrata sunt: quare iam ad alterã sententiam digredi, tempestiuum est.

SCHOLIA.

Omnia ex quatuor elementis mista, in medio sunt, quia inter calidiss. frigidiss. humidiss. siccis. ipsa scilicet elementa, sunt mista hæc omnia, quædam magis ad summas has qualitates, vt calida frigida humida sicca quarto gradu accedentia: quædã ab his magis recedunt, vt tẽperata, & quæ calida frigida humida sicca sunt in principio primi gradus. Cætera inter hæc me-

dia. Similiter humores, & partes similares in medio sunt: ex osse autem & carne non fit os, caro, vt antè docuit: sed tamẽ ex humoribus partes similares fiunt, & ex his aluntur. Plantæ verò & cætera mista ex his non fiunt. De humoribus ergo hîc non agit Hippocrates, sed de mundi elementis.

TEXTVS HIPP. 16

NAm cũcta simili modo nascũtur, & similiter desinunt.

Comment. Galeni. 16

NEmo qui vel vaticinatus fuerit, tales fore homines, qui perperam ipsum essent intellecturi, toties idẽ dogma repetisset, quemadmodum nunc Hippocrates factitauit [omnia] dicens non tantùm hominem, similiter nasci & interire, quemadmodũ dictũ est, ex quatuor scilicet elementis, nõ corporis particulis, calidis, aut frigidis, aut siccis, aut humidis. Verùm sunt nonnulli adeò imperiti Græcanicæ di-

ctionis, vt putent id quod in corpore humano est calidum, frigidũ, siccum & humidum, sensu percognita, communia omnium generationis esse elementa.

SCHOLIA.

HVmores 4. & partes in nobis similares calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, sensui manifesta hominis solius sunt elementa. Et si vis, etiam cæterorũ animaliũ sanguine præditorum, atque adeò exanguium elementa fuerint partes similares: & plantarum quoque, si Theophrasto credimus initio Historiæ plantarum.

TEXTVS HIPP. 17.

QVia ipsorũ natura ab his quæ recensuimus vniuersis cõstituitur, & desinit, vt prædictum est, in idem, & vnde constituta sunt, singula eodem etiam recedunt.

Comment. Galeni. 17

IMmoratur suo dogmati, naturã omnium censens ex commemoratis quatuor constitui, & in eadẽ, fini

finire. Vnde enim ſingula prouenerunt, inquit, illuc etiam recedunt, ad cōmunia ſcilicet mundi elemēta, terram, aquam, aërem, & ignem. Prorſus igitur Hippocratis ſententiam ignorāt, & id quod initio dictum eſt, [οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν, &c. id eſt, Neque enim in totū hominem dixerim aërem, neque aquam, neque ignē, neq; terrā] pro, μηδόλως. i. nequaquam & nulla in parte intelligētes. Liquet enim Hippocratem nō velle cōmunia omniū elementa, μηδόλως. id eſt, nequaquā in corpore humano eſſe, verùm eos qui vnum ſolùm ex ipſis dicunt, inſectari.

TEXTVS HIPP.

CORpus autem hominis ſanguinem in ſe cōtinet, pituitam, bilem vtranque, & flauam, & nigrā. Atq; hęc ſunt ipſius corporis natura: & propter hæc dolet, & ſanū eſt.

Com

Comment. Galeni. 18.

VBi diſputationẽ de cõmunibus elemẽtis abſoluiſſet, ad animalium ſanguine prędirorũ (in quorũ numero eſt & homo) elementa in oratione propoſita digreſſus eſt, decernens tum noſtrã ab initio generationẽ ex ſanguine, pituita, & duplici bile, flaua & nigra conſtare, tũ totius vitę perſeuerantiã, eáque totã eſſe naturã hominis, cùm humores quidem in ſolidis partibus contineãtur: ipſæ verò ſolidæ in prima animantis, quod geſtatur in vtero, conformatione, generationẽ ex his ſortiantur. Nã omnes particulæ ex menſtruo ſanguine factæ ſunt, qui nõ ſyncerus eſt ſanguis, ſed duplicẽ in ſe bilem, pituitámque habet: id quod paulò pòſt autor oſtendet. Quinetiã quomodo fiat, vt ex his ſani ſimus, doleamus, & ęgrotemus, pro

Omnes particulæ ex ſanguine maximã ſubſtãtiæ ſuæ partẽ trahunt, non totam, vt pòſt patebit.

proxima oratione persequitur.

SCHOLIA.

Generationis nostræ primordia duo sunt Galeno initio Sanitatis tuendæ, & initio lib. 2. Temperamentorũ, sanguis menstruus, & semen viri & mulieris: ambo ex quatuor elemẽtis, igne, aëre, aqua, terra & 4. humoribus, portione tamen inæquali, conflata. Semen enim viri ortum ex sanguine 4. humores complexo, mulieris semine pauco quidem & aquoso vtcunq; nutritum, & auctum, deinde ex sanguine mẽstruo per venas & arterias, cotyledonibus finitas, trahit alimentum: quo nutritum & auctum plurimum, iam solidis partibus delineandis sufficit. Mox carnosum genus ex eodem sanguine menstruo molitur. Vbi iam fœtus est, eodem quoque sanguine ad partum vsque nutritur & augetur: à partu, lacte, quod mammarum glandulæ ex eodem sanguine coxerunt. Hinc ad interitum vsque partes corporis omnes sanguine 4. humores complexo nutriuntur, & quãdiu datum est, augentur. Adeò naturæ animalium sanguine præditorum, necessarius est sanguis. Vnde forsitan nonnulli sanguinem esse animam putauerunt: ac præterea quòd eo abundè excreto, mors animal rapit. Ex quibus animalibus sanguis copiosior & temperatior, simul, illa sunt viuaciora, Hippocrates in libro de Natura fœtus, Galenus

nus in libro de Spermate, & de Fœtus formatione, hæc propè omnia confirmant. Quòd autem propter horum 4. humorum seruatam quantitatem, qualitatem, mutuam mistionem valemus: ob mutatum aliquod horũ trium vel duo, vel tria ægrotamus magis & minus pro mutationis multitudine, & magnitudine, postea declarabitur. Hæc illi sunt natura corporis, id est, his quatuor humoribus, ceu elementis sub sensum cadentibus, & homo & cætera animalia sanguine prædita constant.

TEXTVS HIPP. 14

SAnum igitur est potissimũ, quũ hæc & virtute & copia inter se mediocriter habent, & præsertim si commixta sint.

Comment. Galeni. 14

OMnium & Medicorũ & philosophorũ, qui absoluti dogmatici sunt, cõsensu, elementorum cõmoderatio sanitatem efficit. Quum autem rationalis sectæ elementorũ institutio duplex genere sit: altera, appositione & complexu primorum

Initio lib. de Diff. morborũ & antè

dicta Empedoclis sententia.

rum corporum, generationes compositorũ fieri profitetur: altera temperatura. Prior itaque symmetriam in meatuum constitutione, quam Græci πορoποιΐαν appellant, ponit: secunda ex proba elementorum temperie sanitatem constare affirmat. Cuius nimirum opinionis Hippocrates princeps existit. Rursus quũ duplex sit symmetria seu commoderatio, hæc in facultate eorũ quæ contemperantur, illa in substantiæ quãtitate, vtriusque meminit Hippocrates, inquiens, Virtute & copia. Quod ad sententię calcem subditum est. Et præsertim si commista sint accuratam per tota ipsa contemperationem innuit. Nam in dispositione corporis maximè inculpata, nõ solùm quatuor elementorũ commoderatio, sed etiam per tota temperatura mistióq; accuratè absol

Symmetria in quantitate & qualitate.

ſoluitur. In deterioribus autem corporis temperaturis fieri aliquando poteſt, vt in vna aliqua particula humores non æqualiter, neq; ſimiliter, neq; per tota inuicem ſint temperati: verùm quum nondum functio manifeſtè læditur, culpata quidem eſt ſanitas, necdum tamen morbus.

SCHOLIA.

FAcultatem natiuam humores ſeruant, ſi pituita frigida humida ſit, ſanguis calidus humidus: bilis flaua, calida, ſicca: bilis atra, frigida ſicca ſit: atque qualitates reliquas his primis ſuccedentes ſinguli ſibi debitas habeant. Si autē ſanguis ſeipſo calidior, aut frigidior, humidior, aut ſiccior euaſerit inſigniter, adeò vt actio aliqua, velut nutritio, etiam inſigniter lædatur, morbum ex intemperie facit, quacunq; in parte corporis fuerit hic ſanguis. Ad hæc, ſi ſanguis in corpore, auctior, quàm ſuæ cum reliquis humoribus proportioni conuenit, euadat, vaſa rumpit, aut morbos ex plenitudine ſupra vaſorum capacitatē facit in corpore vniuerſo, vel parte eius aliqua, in qua ſcilicet auctus eſt: dum minutior eſt reddi-

tus, atrophiā excitat & cacochymiam. Fit enim sanguis naturæ inutilis, mutata qualitate vel quātitate idonea. Gal. lib. 9. Meth. Eodē modo humores reliqui quātitate, aut qualitate, à cōmo deratione sibi debita insigniter digreßi, morbos excitāt, vt sanguis, febres, tumores præter naturā, cæterósq; tum partium similariū proprios, hoc est, intemperaturas, tum organicarum, id est incommoderationes, tum ambarum communes, id est, solutiones continui. Ipsos autem humores in ipso sanguine commisceri bene ad sanitatem oportet: non autem synceros, & ab alijs secretos esse. Vt ex his probè per se totos cōmistis probior fiat sanguinis totius, & ex eo reliquarum corporis partium temperatura. Quæ res etiam caloris humores commiscentis, & commistos continentis, robur, significat. Huc pertinere potest, quod Hippocr. Aphor. 6. & 23. lib. 7. & Prognostico. 20. libr. 2. deiectiones synceras damnat, sed etiam ob aliud damnandas: id quod illis locis docet Galenus. Porrò sanitatem; atq; adeò vitam ipsam in triplicis substantiæ nostræ, spirituosæ scilicet, carnosæ, & verè solidæ, quantitate, & qualitate contineri, vt docet Gal. libr. 9. & 12. Method. istam Hippocratis sententiam confirmans: vt scilicet, quomodo mundi elemēta quantitate & qualitate idonea misceri bene oportet ad rei perfectionem: sic humores 4. propinqua

animal

animalium sanguine præditorum elementa permisceri virtute & copia ad sanitatem necesse est. Humor verò melancholicus an his insit solis, qui habent præter naturam, non etiam sanis, vt quibusdam visum est: lege Galenum in fine libri de Atra bile.

TEXTVS HIPPOC. 20.

DOlet autem, quum horum aliquod minus aut amplius euaserit, aut separatũ in corpore sit, nec contemperatum omnibus.

Comment. Galeni. 20

QVemadmodum in sanitate exactam commoderationẽ in quantitate, & virtute, & temperamento per tota constituit, eodẽ modo in morbo horum contraria ponit: minus quidẽ, aut maius, ad substantiæ quantitatẽ, & facultatẽ reducens: nõ autem contemperatum esse omnibus, ad intemperiem aut inæqualitatẽ tẽperaturæ, aut quomodocũq; aliquis nominare velit.

SCHOLIA.

VNde Médicina Hippocrati, libro de Flatibus, est adiectio eius quod minus est, & ablatio eius quod amplius est. Quod autem est amplius iusto, si sanguis est, phlebotome: aut si hanc æger auersatur, largius vacuante medicamento: si aliquis reliquorum humorum abundat, purgãte medicamento sibi idoneo: si quantitas horum minuta est, alimento augetur idoneo, & sumendis, admouendis, faciendis. Si qualitas præter naturã est intensa vel remissa (nam de qualitate minus & amplius possunt etiam intelligi, vt magnum, paruum de febre, & morbis aliis, multísque aliis qualitatibus dicuntur Gal. initio lib. 1. Febrium) contraria corrigantur æquali. Pituita ventriculi, intestinorum, cerebri: bilis flaua, folliculi fellis: humor melancholicus lienis secreta videntur: & id salubriter, nõ gignendo morbos: sed illa à sanguinis semel constituti massa non sunt secreta, imò ante sanguinis perfectionẽ, & in ipsa sanguificatione. Cùm item præter humores 4. serosum sit excrementum, quod παν'ƒοῖον *quoq; prius expreßit, vt Galenus interpretatus est: quod nisi vel sudoribus, vel vrinis, vel hydrogogis medicamentis vacuetur, hydropẽ asciten facit. Quare non dicimus illo, vt aliis 4. humoribus hominem constare? quia nulla pars nutritur aqua, id est, illo seroso excremento, Gal. libr.*

libr. de Vsu partium: sanguine autem pituitoso partes spinaticæ, melancholico lien, & quibusdã totum corpus, vt etiam bilioso, nutritur.

TEXTVS HIPP.

NEcesse enim, quum aliquid horum recesserit, & per se constiterit, non solùm locum ex quo recesserit, morbidum euadere: sed eũ etiam, vbi constiterit & influxerit, *nimis quàm replens, dolorem laborémq; exhibere.

** ὑπερεμπιμπλάμενον, hoc est, plus iusto repletum.*

Comment. Galeni.

QVum quatuor humorum aliquis per se in aliqua particula constiterit ab aliis separatus, & non sit totus per tota ipsis contemperatus, animal dolet, dum vtraque particula intemperiem experiatur, tum vnde discessit, tum in quam trãsiit: * potissimúmq; hoc accidit in humoribus, qui validas facultates obtinent. Hi enim non solùm

** Humores validarum virium præcalidi aut frigidiores natura, vel aliunde, vt bilis flaua*

& atra, lib. de Atra bile, sanguis pituita vitrea, salsa.

quãtitate particulam, in quã decubuerunt, aggrauantes, sed etiã qualitate dolorem excitant, dum vehementer calefaciunt aut refrigerant.

SCHOLIA.

Fluxio humorũ partem in quam fertur, dolore afficit, vel quantitate, vel qualitate humoris, vel vtraq; , siue humor à parte nobili & robusta mittatur in ignobilem & imbecillã, siue attrahatur à partis dolore, vel calore. Hæ enim sunt duæ fluxionis causæ. Gal. lib. 2. cap. 14. de Diff. febr. & libr. 13. Methodi. Per dolorem hic etiam morbum, & quamuis actionum læsionem intellige. Multitudo autem humoris in partem recepti, vt in tumore præter naturam, solutionem continui tensione facit: qualitas eiusdem, id est caliditas præcipuè & frigiditas, alterationem subitã. Quæ duæ sunt causæ doloris libr. 12. Methodi, & libr. 4. symptomat. Huc pertinet, quod antè diximus de synceris deiectionibus. Quod maximè ostendunt dysenteriæ omnes, præsertim quæ à bile alterutra fiunt, vt Aphor. 24. lib. 4. vel etiam à pituita salsa aut vitrea. Quæ autem à sanguine est hepatica, indolens est Galeno: grauat tamen partes, in quas & per quas fertur. Neque enim humorum quantitas vel

qualit

qualitas partes solas afficit, à quibus, vel in quas affluunt: sed etiam per quas feruntur, præsertim si in his aliquandiu hæreant, & validarum sint virium. Humor autem locum, ex quo excessit (excessit verò vel impetu suo, & per se, aut imbecillitate retentricis, aut robore expultricis, aut vi medicamenti purgantis, aut alia violentia) non semper lædit: sed tantùm id verum est, in magnis vacuationibus, seu vt Hippocrates vocauit, nimis affluentibus, & supernatantibus, id est, abundantibus: quæ æstimantur humorum vacuatorum præstantia, vt si sanguis vacuetur: vel quantitate, vt dum sanguis, vel reliqui humores, etiam omnino à natura alieni, vacuantur. Per coryzas enim vehementes & diuturnas cerebrum læditur, & qui suppurati aut hydropici secantur, vel vruntur, si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur Aphoris. 27. libr. 6. Omnis enim vacuatio immodica vires deijcit. Nec tantùm per se vacuationes hæ partibus, ex quibus excesserunt, molestæ sunt, sed etiam per accidens, quod absentia sua partem relinquant intemperatiorem. In paruis autem vacuationibus aut moderatis tantùm abest, vt pars, siue per transmissionem, siue per attractionem internam vel externam, vacuata doleat, vt etiam plurimum iuuetur, leuata scilicet noxiorum humorum quantitate & qualitate.

TEXTVS HIPP. 22

ETenim quum aliquid horum extra corpus effluxerit amplius innatante, euacuatio dolorem exhibet.

Comment. Galeni. 22

Ἐπιπολάζοντος id eſt, innatante, dictum nunc eſſe loco πλεονάζοντος, id eſt, abundante, intelliges: aut ſi non hoc quis velit intelligere, pro, non temperato omnibus aliis per ſumma innatante, poſitum eſſe putabimus, Vtrunque enim eſt probabile.

SCHOLIA.

ANtè egit de vacuatione partis in aliã, nunc de vacuatione facta extra corpus, ſi largior fuerit, quàm pro copia eſt noxia, ſiue ea ſectione venæ fiat, ſiue medicamento purgãte, vel cauſis alijs vacuantibus per quoſuis corporis externos meatus, aures, oculos, nares, os, ſedem, hæmorrhoidas, muliebria, vrethram, poros cutis, vlcus, vulnus: ſiue per ſe & impetu naturæ, ſiue medicamenti alicuius ſumpti vel admoti violentia:

tia: siue per accidens ipsa inedia. Nam plurimum atq; repentè vacuare, vti etiam replere, malum, Aphor. 51. lib. 2. Item quòd omnis vacuatio insignis etiam materiæ à natura alienæ vires deijciat, ostendit Aphor. 27. lib. 6. & 45. lib. 7.

TEXTVS HIPP. 23.

SI rursus intrò euacuetur, transferatur, excernatúrq; ab aliis, necesse omnino est, vt duplicem, sicut prædictum est, dolorem concitet, & vnde excessit, & vbi exuperat.

Comment. Galeni. 23.

HOc superiùs esse compræhensum, etiam ipse innuit, quũ dicit, [sicut prædictum est] nam dictione, non potestate à nunc dicta oratione differt, quam paulò antè adduxit, vbi in hunc modum inquit: Necesse enim est, quũ aliquod horum recesserit, & per se constiterit, non solùm locum ex quo recessit, morbidum euadere, sed eum etiam, vbi constiterit, & influxerit,

*ὑπεϱεμπιμπλάμενον. *nimis quàm replẽs, dolorem laborémq; exhibere. Quum autem ait, Quæ verò hominem esse dixero, ea semper secundum legem, & secundum naturam inesse mõstrabo. *Secundum legem quidem dixit, volens innuere hominum opinionẽ, quam de ipsis habent. Secundum naturam verò, ipsarum rerum veritatem. Attendamus igitur iam verbis ipsius subsequentibus, vt cognoscamus, an quòd initio operis pollicitus est, nunc præstet.

*Secũdũ legem & naturam.

SCHOLIA.

Vide Apho. 7. partis 2. & lib. 6. Epidemiôn.

Humores vacuantur nonnunquam intrò, vt in humorum defluxu ex cerebro in fauces, gargareonem, pulmonem, ventriculum, & alias partes subiectas, item in omnibus tumoribus præter naturam præsertim internis, in omni item arthritide. nonnunquam foràs, & extra corpus, vt in hæmorrhagijs foràs ruentibus, in cholera morbo, dysenterijs, & alijs per sedẽ & gulã excretionibus, fluxu muliebri, gonorrhœa, &c.

Humor

Humores etiam interdum & vapores locum tantum mutant, vt sanguis cum spiritu & calore in mœrore, timore, verecundia, somni & vigiliarū initio, ac dum ipsi turgent, vt Aphorif. 22. lib. 1. & Aphor. 7. & 10. lib. 4. cap. 9. lib. 1. Crifeon, Etiam dum bilis flaua effusa in intestina in ventriculum regurgitat, vt lib. 1. Alimentorum Galenus docet: aut à folliculo fellis recta in fundum ventriculi quibusdam excernitur, vt in lib. 2. Temperamentorum, & capite 74. Artis medicæ. Quo in loco (sed fusius & apertius libr. 5. Vsus partium) quantum bilis molesta sit ventriculo, non solis intestinis per dysenterias, & partibus quibusdam per herpetas, erysipelata, febres biliosas, toti deniq; corpori per icterum, cuius experientia insuper quotidiana apparet. Quid dicam de causa paralysis, apoplexiæ, epilepsiæ, & aliorum magnorum affectuum, obstructionem ab humore locum mutante sequentium, de melancholia morbo? si rem persequi libêret, morborum ac symptomatum differētiæ & causæ propè omnes huc essent transferendæ. Sed molestia hæc maior à synceris humoribus virium validarum, quorum vis oppositorum mistione non retunditur: quales sunt bilis flaua, æruginosa, prasina, vitellina: bilis atra, seu melancholia, ex adustione aliorum humorum, vt sanguinis, humoris melancholici, bilis præsertim vitellinæ, nata, quā

sem

ſemper noxiam docet Gal.lib.de Atra bile: pituita ſalſa, vt in pruritu, & vitrea, vt Gal. initio lib.2. Locorum affectorum oſtendit in ſuo dolore colico. Quòd autem habet initio ποιήσεται τὴν κένωσιν, ait Galen.lib.7.de Placitis Hipp. & Plat.pro κένωσιν, id eſt, vacuationem, legit κίνησιν, id eſt, motum fecerit & impetum. Nec ſolùm dolet pars à qua fit vacuatio, & in quam, ſed etiam per quam, vt ſanies in catarrhis, inteſtina affecta dyſenterijs declarat.

TEXTVS HIPP. 24.

DIco autem eſſe ſanguinem, pituitam, bilem flauam, & nigrã, & horum primum ſecundum legem nomina diſtingui pronuntio, & nulli ipſorum idem nomen eſſe: deinde ſecundum naturam ſpecies ſeparari, & neque pituitam vllam ſimilem eſſe ſanguini, neque ſanguinem bili, neq; bilem pituitæ. Quomodò enim ſimilia hæc eſſent inuicem, quæ nec colore ad viſum, nec † manui ad tactum ſimilia eſſe videntur. neque enim calida ſimiliter ſunt,

† Sic habet Græcus codex, in quo cõſiſtentia deſyderari videtur ex cõmentario.

ſunt, neque frigida, neque ſicca, neque humida.

Comment. Galeni. 24.

TOta ipſius oratio manifeſta eſt. & quod inſtituerat, oſtendit. Nam propoſita hac ſerie, quatuor eſſe humores in corpore inuicem differentes, docuit. In ſubſequenti verò, quòd etiam ſecundum naturam hi omnes exiſtant, non vnicus ex ipſis. Sed in hac præſenti oratione humores ait & colore, & conſiſtentia, & caliditate, & frigiditate inuicem differre: id quod etiam manifeſtò apparet. Perturbat autem fortaſſe quoſdam, quòd humor ab humore ſiccitate diſcrepet, quum omnes humores ſint liquidi & humidi. Negent igitur hi, quòd neque humiditate ipſi differant, ſiquidem alterum altero humidiorem eſſe concedunt, quod in omnibus

bus pariter humoribus apparet. Etenim flaua bilis, vehementer humeſcit ſępe, quum color ipſius non flauus, ſed pallidus efficitur. Sæpe verò vitelli modo craſſeſcit, eóque à nonnullis nominatur λεκυθώδης. id eſt, vitellina. Atra bilis perpetuò craſsior eſt pallida & flaua, non parua minoris maioríſque ratione: quemadmodum & ſanguis. Nam hic interim humidus adeò, vt fluat: interim craſſus admodùm apparet: pituitam autem commemoratis humoribus proportione reſpondere videas. Variat enim craſsitie & tenuitate, dum nunc eſt aquea, nunc craſſa, vt pus repræſentet. Accidit hoc humoribus qui non verè ſunt elementa, quemadmodum aqua, terra, aër, & ignis ſunt. Singuli è-nim ex quatuor his generati ſunt, ita vt in alio aliud ipſorum præ-

pol

polleat, quemadmodum ſubinde didiciſtis.

SCHOLIA.

IN omni re quærenda, nomen ipſum in diſputationem aſſumi debet, eiúſque notio ſumenda eſt, quæ omnibus hominibus ſit in confeſſo. Vt quòd humor corporis ruber, ſit ſanguis: albus, phlegma, id eſt, pituita: flauus, bilis flaua: niger, melancholia, norunt & fatentur omnes homines: éſtque hæc communis apud omnes de his nominibus opinio: neque nomina ipſa confundunt, vt quod vni humori inditum eſt, de altero pronuntient. Quanquam Prodicus in lib. de Hominis natura id quod in ſuccis vſtum & veluti ſupra modum coctum, φλέγμα, nominat à πεφλέχθαι, quod vſtum eſſe ſignificat. Cæterùm dictione aliter vtitur, quàm cæteri, Gal. lib. 2. facul. natu. Phlegma enim pituitam vocant, humorem crudum, frigidum, humidum, forte per antiphraſim, quòd ſcilicet vſtus non ſit. Neque ſolis nominibus hi quatuor humores differunt, ſed facultatibus, variam quatuor elementorum primorum miſtionem ſequentibus & ſpecie, & colore, odore, ſapore, caliditate, frigiditate, humiditate ſiccitate, (à quibus quatuor qualitatibus illorum eſt facultas) reliquíſque tactilibus differentijs, ac denique conſiſtentiæ varietate, vt antè

Phlegma vnde dictum.

tè dictum est, & post dicetur. Vnum autem hi quatuor humores commune habent, quòd liquores quidam sint, & fluidi sint, vnde humores appellantur, non quòd omnes humectent. Bilis enim vtraque & pituita salsa siccant: ob id ab effecto sicci humores appellantur: quemodo mel, & succi quarundam plantarum, & alia permulta. Quòd si mel, aut huiusmodi aliquod humidum dici reperis, vt libro primo Temperamentorum, à consistentia liquidiore & fluida, sic appellatur, vel ceu alimenta, non à viribus. Iam hominis elementa quatuor humores quatuor inter se diuersos ex lege & natura, quadantenus probauit, postea euidentius demonstraturus.

Humores vnde dicti.

TEXTVS HIPPO.

QVare necessum est, quoniam tantum inter se differunt specie & facultate, non vnum ipsa esse: siquidem non aqua & ignis vnum sunt.

Comment. Galeni.

QVamuis absurda eorum sit opinio, qui hominem vnum esse arbitrantur, Hippocrates tamē studi

ſtudioſè ei contradicere videtur, Fortè quòd aliqui illius tempore fuerint inſignes viri,qui hanc opinionem celebrarent. Quum enim plurima veterum opera nõ amplius ſuperſint,multò veriſimilius eſt,opiniones ipſorum nullis mandatas literis intercidiſſe:præſertim quoniam nonnulli ne vllum quidem opus conſcripſerunt, quemadmodum Socrates, Pythagoras, & ex claris noſtra tempeſtate Medicis, Quintus.Præterea magis licet credere,multos viros illuſtres, dum viuerẽt, extitiſſe:ipſis autem fato defunctis, de dogmatibus opiniones interiiſſe:quum & Plato tot conſcripſit opera:diſcipuli tamen quędam ipſius placita non memoriæ prodita eſſe dicant, præter ea quæ ſcripta videmus. Quemadmodum verò diſcipulis,dogmata non pro-

dita esse dicentibus, fidem accommodamus: ita etiã Hippocrati extitisse nonnullos credimus, qui terram solam commune omnium elementum esse dicerẽt: in homine autem bilem, aut pituitam. Etenim nunc etiam quosdam noui, qui alia scripserunt, quorum opera partim cum ipsis perierunt, partim peribũt: sicut eius qui terram omnium esse matrem, nutricem, principium & elementum affirmat. Ipsam namque etiam cælum generasse, & animantia quæ in ea habentur: vti Hesiodus tuetur. Iam verò ex Archigenis sectatoribus aliquis vir non omnino pessimus, crediderat, neque inspiratione aërem in corpus ingredi, neq; in expiratione foràs egredi. Item alius quidam primum & elementarem humorem pituitã esse volebat. Ne igitur inquiramus

nom

nomina illorũ qui absurdas has opiniões primùm ediderint. Et si enim quòd Thales aquam solam esse elementum pronuntiauit, ex ipsius libris ostendere nequeamus, attamen hoc quoq; omnibus persuasum est.

SCHOLIA.

Qvum nequeant cōtraria esse simul in eodē subiecto, multò minus contraria erunt vnum. Atqui ignis & aqua, vt bilis & pituita, aër & terra, vt sanguis & bilis atra, duabus contrarijs qualitatibus pugnant: vt interim omittam cæteras horum tam elemētorum, quàm humorũ differentias essentiales & accidentales in reliquis qualitatibus tactilibus, colore, odore, sapore, quæ his 4. elementis, vtpote compositis insunt, simplicissimis elementis si superessent, non adessent. Non igitur sunt vnum hi humores 4. & elementa 4. Nam de ambobus esse potest conclusio: tametsi de humoribus potius antecedentia & consequentia ostendant.

TEXTVS HIPP. 26

COgnosces autem, quòd nõ vnũ omnia hec sint, sed singula vim habeant & naturam propriam, hac

ratione. Si enim alicui homini de-
deris medicamentum quod pitui-
tam educit, †euomet tibi pituitam:
& si exhibeas medicamẽtum quod
bilem purgat, euomet tibi bilem.
Pari modo & atram bilem purgat
medicamentum, si dederis quod a-
tram bilem elicit.* Ac si vulneraue-
ris rursus corporis particulam ali-
quam vt vlcus fiat, profluet inde
sanguis. Atque hæc omnia fient
quouis die & nocte, hyeme & æsta-
te, vsque dum possit spiritum ad se
attrahere, & rursus emittere: do-
nec aliquo horum cõnatorum de-
stituatur. Connata autem sunt hæc
prædicta. Quomodo enim non
connata sint? Primum siquidem
homo hæc omnia semper quoad
vita fruitur, in se manifestè conti-
net. Deinde ꝓcreatus est ex †homi-
ne, omnia hæc possidente: pòst nu-
tri

† Vomet quidem si sursum vergat, et medicamentũ sit vomitoriũ: si contrà purgans, deijciet: Nã pituita magis deijcitur. Apho. 4. libr. 4. & melancholia. Aph. 9. lib. 4.

**Vase secto fluit sanguis nõ tamẽ syncerus.*

† Viro & fœmina.

tritus in†homine, omnia hæc ob- tinente, quæ ego & dico & de- monſtro. † *Fæmi-na.*

Comment.Galeni. 26

SVperiore oratiõe indicauit ma- nifeſtò ſimul & verò hominem omnia in ſe continere, bilem vtran- que pituitam & ſanguinem: in præ- ſenti verò non hoc ſolùm oſtendit, ſed etiam quod ſecundum naturam ſint: non (vt quidam aiunt) vnum ex ipſis. Aliæ igitur opiniones eo- rum, qui vnicum humorem in cor pore ſecundum naturam eſſe refe- runt, facilè poſſunt conuinci: at il- lorum qui ſanguinem affirmant, non cõtemnenda eſt, ſed magnum aliquod certamen, quo ſubuerta- tur, requirit. Hoc autem aggredi iam tempus eſt, initio ab eo, quod priùs vir dixit, deſumpto. Dicit au tem hunc in modũ: Cæterùm mea

An ſan-guine ſolo cõſtemus.

quidem sentētia, qui hominem sanguinem duntaxat, & nullā rem alia esse cēset, is meritò nec speciē ipsum mutare, nec omnimodo varium fieri demonstrare deberet: aut saltem tempus anni aliquod, aut vllam hominis ætatem ostēdere, qua sanguis vnicum existēs elemētum, solus inesse homini videretur. Verisimile nāque est tēpus saltem vnū aliquod esse, quo id vnum per se[corporis] elementum appareat. Si igitur huic sermoni adieceris id, quod in sententia modò nobis proposita demonstratur, integrum Hippocratis dogma efficies. Nam ostenditur inibi, neque anni tempus aliquod huiusmodi esse, neque ætatem, in qua hominē commonstret aliquis aliorum humorū non esse participem: imò etiam per purgationes liquet. Si nanq; dederis alicui medicamen-

tum

tum vel bilem ducens, vel pituitam, id vacuari videbis, quod ab eo trahi natum eſt, vtpote quum quouis tempore omnes in corpore contineantur humores. Huic autem orationi quidam renituntur, qui non fatentur purgans medicamentum, familiarē ex corpore humorem attrahere, ſed in ſpeciem in quā natū eſt, mutare. Verùm quòd falſa ipſorum oratio exiſtat, commentario vno de viribus medicamētorū purgantiū inſcripto à nobis oſtenſum eſt. Dicetur autē etiam nunc vnum quippiam eorū quæ illic comprǽhenſa ſunt, cauſa exempli. Vidiſtis enim in ipſis artis operibus nō rarò cōuinci eos, qui id quod euacuatur à medicamētis purgātibus trahi nō admittunt: vtpote quū aqua inter cutē, aſcites dicta, laborātes medica mentū aquā ducēs aſſumpſerint, nō

exigua aquosæ humiditatis copia euacuatur, & tumor ventris submittitur. Quòd si flauæ bilis aut nigræ eliciẽs medicamentũ ipsis propines, paucissimum euacuabis humorem, & tumor ventris nõ modò nihilo minor, sed etiam maior euadet. Contrariũ accidere in arquaticis ex iecinoris obstructione cõspexistis. nam viscere priùs ipsis adaperto medicamentis in id efficacibus, quum bilem ducens exhibitũ fuerit, & copiosa redundantis humoris vacuatio accidit, & affectus statim cessat. His simile nouistis etiã in his fieri, qui pituita aut atra bile infestantur. Etenim multus qui affligit humor euacuatur, & ægroti magnũ experiuntur auxiliũ. Si igitur talia purgantiũ vi trahuntur, & medicamẽta in quauis ætate, & anni tempore purgant, perpetuò quatuor

tuor in corpore humano exiſtunt. Oportebat enim,ſicut priùs dictũ eſt,ſaltẽ vnũ aliquod anni tempus, aut hominis ætatem,quæ ſolũ ſanguinem haberet,apparere,ſi opinio eorum,qui ſolum ſanguinem naturam hominis eſſe prodiderunt,vera ſtatuatur:quod idem eſt,ac ſi omnes ipſius particulæ ex ſolo ſanguine conformẽtur,nutriantúrq; ſemper ſolo ſanguine.Porrò quũ bifariàm ſanguis dicatur:alter qui in venæ ſectione & vulneribus vacuari videtur,vtriuſque bilis & pituitæ,vt oſtẽdi,particeps:alter autem purus, ſyncerus,& non cum aliis humoribus mixtus,ex eo ſanguine ſecundũ prius ſignificatũ,† conceptũ effor- † τὸ κυούμενον, fœtus. mari,verum forſitan eſt:ex eo autẽ qui ſecundo,falſum.Nunquã enim ſolus hic in iis quæ vterum gerunt, gignitur.Cur autem adiecerim ſer-

moni[forsitan]vos non latere arbitror. Nam in commentariis de Semine plurimas corporis particulas ex semine generari docuimus: solas autem carnosas ex sanguine conformari. Sed quia exigua seminis moles est quæ in uuluas coniicitur, nutrimentum verò ipsi & incremẽtum ex sanguine obuenit, ideo quis particulas propemodùm ex sanguine conformari dixerit. Quatenus autem semen generationem ex sanguine obtinet eatenus concepti generationem ex sanguine esse si quis dicat, vera fateri videbitur: sed non ex syncero sanguine aliorum humorum experte, sed ex eo qui per excellentiam nominatus est. Huiusmodi sanè totus propositæ orationis sensus est: particulariũ verò in ea hic erit. Primum significare conuenit, communem non solùm Medic

dicorum cósuetudinem, sed omniũ quoq; Græcorũ, qui bilem sine adiectiuo nominant, quũ pallidã, aut flauam signare voluerint. Cæterùm quòd hęc vtraq; nomina de vna humoris specie dicuntur, differentiis humiditate & siccitate, paulò antè à me expositũ est. Reliquas omnes biles cũ appẽdice nominãt, æruginosam dicẽtes, aut nigram, aut rubrã, aut porraceam. Secundum ad hoc in serie proposita indicare oportet, vbi inquit: Quousque spiritum in se posit attrahere, & rursus emittere. Constat enim inspirationem velle ipsum fieri instrumentis respiratoriis externum aërem attrahentibus: expirationem verò emittentibus. Deinde tertium, vbi ait: Donec aliquo connatorum destitutũ fuerit. Vult enim non solùm, quum sanguine animal priuatum fuerit, int

Pallida & flaua bilis dicta quomodo differt.

Apho. 1. lib. 5.

interire: ſed etiam quum aut pituita, aut flaua, aut nigra bile.

SCHOLIA.

Quomodo elementis 4. res omnes conſtare anteà etiam per harũ corruptionem probauit: ſic humores 4. in corpore hominis eſſe per eorum vacuationem, quæ illis velut quadã corruptio eſt, oſtendit. Quî enim ex corpore vacuarentur per medicamenta purgantia, ſingulis his familiaria, niſi humores hi in corpore prius conſtitiſſent? Neque enim audiendum eſt placitum Aſclepiadis & ſequacium, putantium humores, qui per medicamenta purgantia vacuantur, prius in corpore non fuiſſe, ſed à medicamenti vi in corpore genitos, vt lib. 1. Facul. natu. & lib. de Atra bile confutat Gal. cùm ſine medicamento per vomitum aut deiectionem purgante (quale propriè dicitur purgãs cap. 19. li. 5. Simpl.) eos humores ſynceros excerni quotidie videamus, præſertim per febriũ acceſſiones: vt bilem, pituitam, rariùs melancholiam: quòd hæc inſita grauitate ad ſedem aut veſicam ſæpiùs feratur: quanquam hi omnes os ventriculi per febres ferè moleſtant. Recipimus tamen cum Galeno cap. 23. lib. 3. Simpl. medicamenta purgantia, ſi viribus ſint humore trahendo inferiora vel ob

imb

imbecillitatem, vel ob dosin exiguam, in humorem mutari: quem qualitatis & substantiæ familiaritate erant attractura, si fuissent potentiora, vt cnicum in pituitam, aloën in bilem flauam, helleborum nigrum in melancholiam. Sed quomodo hæc humorum 4. vacuatio per vomitũ, deiectionem, vulnus, probat, humorum 4. naturam, id est, conditionem, proprietatem, vel ex primis elementis temperaturam, & facultatem ex hac temperatura ortam, cùm probare tantùm videatur illas in corpore fuisse? Id quidem per se tantùm probat, & eorum naturam à familiari medicamento pati idoneam: per accidens verò & & naturam & facultatem &c. Vacuata enim ex ore ventriculi pituita, minuitur in eo frigiditas & humiditas præter naturam, grauitas, & cætera eius symptomata. Vacuata bile, in eo cessat morsus, capitis dolor, oris amaritudo, & cætera bilis vires sequentia incommoda. Quid quòd febres, humore eas cõmittente, quauis via vacuato prorsus, & cautione adhibita, ne hic nouus gignatur, nulla mora extinguuntur? Sanguis verò vacuari non potest, nisi vas aperiatur, vel orificijs eius dilatatis, vel tunica rara sanguini tenui peruia, aut diuisa vulnere, vel alia specie solutionis continui, vt Galen. lib. 6. Sympt. & initio lib. 5. Method. Nullũ enim medicamentum per se, vt humores reliquos, sic sangui-

gui

guinem trahit: per accidens verò quod est vehementius, vt postea dicetur, & quod hæmagogũ Mesuæ dicitur, à ciendis mensibus. Quæ verò herba sanguinem eliciebat, iam diu ignoratur, à morte scilicet eius, qui eam monstrabat, Gal. cap. 6. lib. de Facultate medicamentorum purgantium. Quanquàm verò hæ omnium humorum vacuationes, omni parte anni fieri possunt, & omni ætate, quandiu scilicet animal respirat, id est, viuit (nam respiratio & vita à seinuicem separari nõ possunt, cap. 5. lib. 6. Loc. affect.) & donec priuetur aliquo 4. humorum animali cõnatorum, id est, moriatur, vt post docebimus. Tamen sanguis vere, & in adolescentia: bilis æstate, & in iuuentute: bilis atra, autumno, & in ætate declinante: pituita, hyeme, & in senectute, copiosius & faciliùs vacuantur, vt aph. 20. 21. 22. 23. libr. 3. & locis alijs permultis, & etiam postea. Cæterùm hos humores 4. animali connatos esse, quòd ex his fiat, & in vtero his nutriatur, seu sanguine hos complexo, & ad mortem in animali permanere per sanguinem, priùs docuimus. Hi verò humores 4. quia elementorum varia mistione seu natura differunt, etiam viribus differunt in calfaciendo, refrigerando, humectãdo, siccando, & cæteris actionibus has 4. primas sequentibus.

Respiratio & vita à se inuicẽ separari non possunt.

TEX

TEXTVS HIPP. 27

QVi hominem vnum eſſe dicũt, videntur mihi ita ſentire, quòd ex iis qui aſſumptis medicamẽtis in nimiis purgationibus perierint, alios bilem vomere, alios pituitã conſpicati, putauit vnuſquiſque ipſorũ id eſſe hominẽ, quod eũ qui purgaretur, morientẽ reiicere viderent. Item qui ſanguinẽ eſſe hominem ſtatuerũt, eiuſdem ſunt ſententię. Nam cõſpicientes in hominibus qui iugulantur, ſanguinem ex corpore effluere, hunc animam eſſe homini cenſent: ac teſtimoniis his vtuntur omnes inter diſputandum.

Commentar. Galeni. 27

QVi dicunt, inquit, hominem, vnũ eſſe, tanquam multi ſint, id dicentes, nõ vnus. Ex quibus igitur perſuaſionẽ hanc ſibi induerũt, qui ex quatuor humoribus vnum

ali

aliquem homini generando sufficere arbitrantur, Hippocrates ipse indicauit: quæ nobis quidem improbabilia, vt dixi, illis autẽ probabilia nimirum apparent. nã in purgationibus immoderatis quum viderent alius alium, ab alio atq; alio humore extremè euacuato interire, illum solum humorem hominis naturam esse censuerunt.

SCHOLIA.

Qvum sanguis sit animæ & caloris natiui sedes, & ex sanguine facti, aliquandiu eodem augeamur, & ad mortem vsque nutriamur, probabilior & vero similior opinio, dicentium nos solo sanguine constare, mediatè scilicet & immediatè, ob id quòd pituita & bilis vtraque, ceu excrementa partibus alendis inepta è corpore expellenda potius sint, quàm retinenda. sed cùm sanguinem syncerum & ab aliis humoribus secretum intelligunt, falluntur. Si autem eum reliquos humores complexum nobis principium statuerent, audiendi essent. Falluntur item Empedocles, Critias, Diogenes, qui animam

mam esse sanguinem autumant. Gal. libr.2.de Placitis Hippocr. & Platonis. Ex quorum opinione Virgil.lib.9. Aeneid. Animam vocat purpuream, id est, sanguineam, interprete Seruio. Non autem solùm in purgationibus immodicis, per vomitum aut deiectionem (quarum causas docet Gal.cap.26. & 27. lib.3. Simpl. & Mesues in Canonibus:) sed etiam vacuationibus spontaneis moribundo bilis alterutra sæpius vacuatur, quibusdam mox à morte.

TEXTVS HIPP. 28.

ETsi primùm in purgationibus immodicis nullus perierit, qui solam bilem purgãdo vacuarit: sed quum medicamentum aliquis bilem ducens potauerit, primùm sanè bilem euomet: mox etiam pituitam: deinde præter bilem etiam atrã bilem compulsi euomunt: postremò autem vitam finientes, purum quoque sanguinem.

Comment. Galeni. 28.

HIc rursus clarè Græcorum consuetudinem innuit, qui bilem

frequenter ſine appendice [flauã,] atram verò ſemper cum appendice vocant. Porrò quod in tota oratione ſignificatur, manifeſtum eſt. Nullum enim mori inquit, cui vnus ſolùm humor purgatus fuerit, quum alij quoq; ſemper cum ipſo euacuentur.

SCHOLIA.

Medicamentum purgans vomitu aut deiectione, vbi in ventriculo à calore natiuo in actum eſt deductum, humorem ſibi familiarem, & calore & ſimilitudine totius ſubſtantiæ trahit, vt in Facultatibus nat. & libr. de Atra bile, & Simplicibus abundè docet Gal. & in Theriaca ad Piſonem. Quòd ſi eo prorſus vacuato, vis medicamenti purgatoria, & calore attractrix nondum tota ſit exhauſta, trahet medicamentum humorem ſequi paratiorem. Quo item vacuato, ſi medicamenti vis illa adhuc aliqua ſuperſit, alium humorem attrahet: ac poſtremò ſanguinẽ ſyncerum, cauſis alijs immodicæ purgationis adiuuantibus, de quibus Gal. cap. 26. & 27. lib. 3. Simpl. Id medicamentũ purgans calore ſuo (ſunt enim omnia medicamẽta purgantia poteſtate calida, Gal. Aph. 24. lib. 1.) quẽuis humorem nullo diſcrimine trahit: hunc autẽ, vel il-

lum,

*lum,cui est familiare,primum trahit:deinde sequi paratiores,hoc est,post bilem,pituitam: post hanc,bilem atram. Est enim pituita sequi paratior (quia humida & fluida) quàm bilis atra, crassa,& sicca.Frigiditas verò vtrunq; humorẽ ad motus pigrum reddit. Craßities ac siccitas atræ bili tarditatem auget, ob id in eius vacuatione * ἀναγκαζόμενοι, id est compulsi addit: & paulò pòst, pituitã vi potißimùm post atram bilem agi,dicet.Vtroq; autem paratior ad sequẽdum sanguis, quia humidus, fluxilis magis, & calidus in vasis capacibus. Sed hunc sibi familiarẽ corporis natura, quibus potest viribus retinet,tractui medicamẽti obsistens, donec ab eo victa trahi sinat.Omniũ autẽ paratißima bilis flaua ob caliditatẽ,leuitatẽ,tenuitatem,raritatem, liquiditatem (est enim fluxilis multum, præsertim quæ rufa, & magis quæ pallida, non crassa adhuc, vt vitellina) ob id post pituitam, & bilem atram, medicamenti familiaritate vacuatam prima sequitur. An verò mori neminem contingat vno tantum aliquo humore vacuato, dubitari poßit, cùm plerosque animo linqui & mori videamus in magnis, aut violentis purgationibus, nondum excreta bile alterutra, sed sanguine. Adhæc si sanguis syncerus vacuetur (cùm hic sit aut hominis natura, aut saltem illi familiarißimus) nónne homo derepente morietur? Quid, quòd textu abhinc nono*

& decimo docet Hippocr. omnia aboleri, & hominem viuere non posse, si vnum aliquod ex his connatis, id est, humoribus, in homine defecerit. Si omnino defecerit vnus aliquis humor, animal perit, abolita sanguinis mistione, & temperatura. Sed per purgationes etiam immodicas totus aliquis humor exquisitè non vacuatur, sed aliqua eius portio etiamtum cum sanguine manet (quin & purum vacuari dicit) vt serosum recrementum ex caua & arteria magna totum renes trahere docet Gal. in lib. de Vsu partium, tamen relinquitur in venis eius portio ad peruehendum in singulas corporis partes alimentum.

TEXTVS HIPP.

IDem accidit &. à medicamentis, pituitam educentibus. Primùm sanè pituitam euomunt, mox flauam bilem, deinde atram, postremò sanguinem purum: post quem moriuntur.

Comment. Galeni.

POstquam humor medicamento purganti familiaris, fuerit euacuatus, mox illum consequitur primus qui ad euacuationē inter alios expe.

expeditiſsimus eſt: poſt illum, qui ſecundum in hoc genere ordinem poſsidet: deinde ſanguis omniũ poſtremus, vt qui humor ſit naturæ familiariſsimus. Tutum nanq; eſt tantillum de eo dicere, quòd ſi non ſolus eſt natura hominis, certè omnium aliorũ familiariſsimus eſt.

Sanguis humor naturæ familiariſsimus.

TEXTVS HIPP. 30.

NAm medicamentum, quum in corpus fuerit ingreſſum, primùm ſanè ducit quodcunq; ipſi inter ea quæ corpori inſunt, natura maximè reſpondeat: deinde alia quoq; & trahit, & purgat: quemadmodum ſemina & ſtirpes terrã ingreſſa, ſingula quæ in terra ſecundũ naturam ipſarũ ſunt [id eſt familiaria] attrahunt. Eſt autem & acidũ, & dulce, & amarum, & ſalſum, & omnifarium. Primum igitur plurimum eius quod ipſis cognatum ſit,

Medicamẽtũ purgans trahit primũ humorem ſibi familiarem: ſi d'ſit, ſequi pariorem.

Plãtæ ex terra alimentũ ſapore, colore, odore, partibus plãtæ ido-

neo prædi tũ trahit: si desit, quoduis attrahit.

arripiunt:postea alia quoq; ad se allliciunt. Tale quid & medicamenta in corpore faciunt. Etenim quæ bilem mouent, primùm meracissimã purgant bilem, deinde mixtã. Item medicamenta pituitam cientia, primùm purissimã pituitam educunt, deinde mixtã. Iam iis qui iugulantur, sanguis fluit, primùm calidissimus, & ruberrimus, deinde pituitosior, & biliosior.

Comment. Galeni. 30

PErspicua autoris est sentẽtia, vt qui rei de qua agit, testimonia adferat: Dicit enim, medicamentũ vbi in corpus venerit, primùm sanè humorem sibi familiarem attrahere, deinde etiam alios. At meminisse oportet etiam de stirpibus ipsum verba facere, nempe quòd & harũ vnaquæq; sibi naturale & connatũ ad se attrahunt. Contineri enim in

terra

terra acidum, dulce, amarum, ſalſum, & omnifarium, veluti etiam in homine: acidum quidem, atram bilem: amarum verò flauam: dulce, ſanguinem: ſalſum, pituitam. Etenim talis quædam eſt pituita, quēadmodum alia dulcis, alia acida, & quædam alia nullam inſignem obtinens qualitatem. Atque ideo mihi videtur ad orationis finem adiecisse, Et omnifariū, vt qui non tantùm in pituita, ſed in aliis etiam humoribus permultas viderit differētias. Sicut enim acida, dulcis, amara, & ſalſa: ita etiam acerba, auſtera, acris & pinguis humorum ſpecies eſt, tum in animalibus, tum in ſtirpibus, & nimirum quę in terra ipſis reſpondent. *Pituita inſipida.*

SCHOLIA.

Medicamentum purgans intrat corpus, non modò per os in ventriculum: ſed etiam

per sedem in intestina, & etiã per alios omnes meatus patentes, atq; adeò, per poros cutis. Et per os meatus intrò receptum, à calore nostro ad actum deducitur & purgat. Id indicant substantia & vis intestinorum coctrix, qualis ventriculi, licet inferior, & venæ mesaraicæ plures, & maiores ijs insertæ. Gal. lib. 4. de vsu partium, de Vtero. Gal. cap. 16. libr. 5. Simpl. de abdomine, Gal. lib. 7. Simpl. de cyclamino, de errhinis, & apophlegmatismis libr. 5. Simpl. cap. 19. de cute manus, pomum practicorum laxatiuum (vt vocant) manu aliquandiu retentum, hydrargyrũ item vlceri, vel cuti illitum & sinapi, & caustica omnia, quæ cùm à calore nostro ijs in locis ad actum deducuntur, si humor familiaris adsit, & meatus liberi, ad se trahent: si impediti, versus se. Comparat Gal. libr. 4. Vsus partium, corporis nostri partes plantis, in attractione familiaris alimenti. Vnde & Plato plantis sensum quẽdam familiaris & noxij attribuit. Hic autẽ Hippocrates, vt Gal. 1. lib. Facultatum naturalium, medicamentum purgatorium, plantis comparat in attrahendo familiari: quomodo scilicet plantæ dulces, succum terræ dulcem, ceu familiarẽ in alimentũ attrahunt: acerbæ, acerbum: austeræ, austerum: acidæ, acidum: salsæ, salsum, amaræ, amarũ: acres, acrem: oleosæ, oleosum: & quæ varijs saporibus præditæ sunt in vna sui parte, vel

plurib

pluribus, varios, & ijs similes sapores attrahũt: ita medicamenta purgantia, humorem ex corpore trahunt, sapore secum conuenientem. Quod in salso, amaro, acri, vtpote calidis, apertè apparet: in alijs saporibus minus cernitur, cùm sint medicamenta purgantia omnia calida potestate vt diximus. Nã nitrũ, & decoctũ brassicæ, betæ, lentium, concharum, sapore salso & nitroso, pituitã salsam, & si desit, aliam detrahunt: aloë, rhabarbarum, absinthium, bilem amaram: serũ lactis, & acria multa, atrã bilem. Ex qua Hipp. doctrina rerum natiua cognatio, & inter se qualitatũ & substantiæ familiaritas, vt etiam facultates, sapore declarantur, certius quàm speciei similitudine & colore: cui etiã aliquid tribuit Gal. lib. 3. Simpl. c. 24. vt cnicus albus, helleborus albus, pituitã etiam albã: aloë, rhabarbarum, flaua, bilẽ flauã, helleborus niger, atram bilem trahit. Sed nimiùm ne crede colori, vt qui fallat in plurimis: sapor autẽ in nullis, quantũ ad manifestam qualitatum actionem. Quod autem sanguinem optimum, id est, calidissimum & ruberrimum à iugulato animali primùm vacuari dicit, errorẽ Practicorũ tollit, ex hirco iugulato mediũ sanguinem solum colligentium ad calculum. Error practicorum.

TEXTVS HIPP. 31

AVgescit in homine pituita per hyemem. Hæc enim hyemi ma-

ximè est secundum naturam, inter ea quę corpori insunt: frigidissima enim est. Indicia sunt, hāc esse frigidissimam, si pituitam, bilem, & sanguinem voles attingere, pituitā reperies frigidissimam, etsi viscosissima sit, & vi potissimùm post atrā bilem, agatur. Quæ autem vi aguntur, calidiora redduntur à vi coacta. Attamē etiam post hæc omnia, frigidissimam ex sua ipsius natura esse pituitam apparet. Porrò quòd hyems pituita corpus replet, hinc cognoueris: homines spuunt reiíciúntque per nares pituitosissima hyeme. Item laxi tumores albi (œdemata dicuntur) potissimùm in hoc anni tempore proueniunt, aliíque morbi pituitosi.

Aphoris. 24. lib. 3.

Comment. Galeni. 31.

CLara est oratio, quæ lectorem diligentem requirat, non interpre

terpretē, qui ipſam explicet. Quòd autem in fine ſcriptum eſt[aliíque morbi pituitoſi]hoc modo ex ipſius ſcriptura intelligendū eſt. Oedemata alba hyeme potiſsimùm oriuntur:item alij pituitoſi morbi hoc tempore infeſtant:denique & febres,ſicut in æſtate omnino bilioſiores,ſic in hyeme pituitoſiores.

SCHOLIA.

Cauſa efficiens pituitæ eſt frigiditas,ſeu calor imbecillus,vt libro primo Faculta.natu. Materia verò eſt,humiditatis crudæ copia, ex cibo & potu pituitoſo,& ſumptis alijs refrigerantibus,humectantibus per ſe vel per accidens. Vinum enim,quanquàm calidum eſt,vbi tamen largius bibitur, quàm vinci poſsit,tantùm abeſt,vt calfaciat,vt etiam morbos frigidos gignat,lib.3.Temper. Frigiditatem verò corporis & humiditatem præter ſumenda, augent non minimum quædam tum admouenda,tum facienda,tum educenda:de quibus alibi ſuo loco dicetur. Inter quæ aër ambiens,corpus noſtrum citò, multùm, continenter, neceſſariò immutat: alia quædam, vt cibus,potus, quanquàm neceſſar

Calor imbecillus, ſeu frigiditas eſt cauſa efficiens pituitæ.

cessariò etiam immutet, non tamen tam citò neque continuó. Quum igitur tantum virium aër habeat, vt Hippocrates etiam docet lib. de Flatibus, libr. 3. Aph. lib. de aëre, initio Prognosticôn: ab eius temperatura, partes anni calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ nominantur. Deinde cùm euidentia sint duplicia, quædam rationi, alia sensui: per tactum, pituitæ frigiditatem, quæ tactilis est qualitas, explorari iubet, postquam è corpore excreta est, tracta vi magna, & à medicamento actu calido: quæ duo calfecisse debuerāt, nisi maxima & propè inuicta fuisset frigiditas. Quanquàm à multis etiam in corpore, sæpius sub bregmate, frigidissima sentiatur, & in lingua, ac dentibus, cùm ex cerebro destillat. An verò violenta excretio humorem calfacere posit, vt hic vult Hippocrates & Galenus initio libr. 2. Loc. affect. Vallæ disputandum relinquo: docenti in Aristotelem, motum in quo est corporum duorum attritio, solum calfacere: & his autoribus summis potius accedendum iudico, & experientiæ in lacte diu percusso ad butyri secretionem & coactionem.

Euidentia duplicia.

TEXTVS HIPPOC. 31

VEre autem, valida adhuc quidē pituita in corpore existit, & sanguis augetur. nam frigora remittunt,

mittunt, & aquæ ſuperueniunt. Sanguis autem eadem ratione auge ſcit, & à pluuiis & diebus calidis. Nam ſecundum naturam ipſi hæc ex anni tẽpore potiſsimùm inſunt. Quippe humidum eſt & calidum. id quod ſic cognoſces: Vere homines & æſtate potiſsimùm dyſenteriis corripiuntur, ex naribus ſanguis profluit, calidiſsimi ipſi ſunt, & maximè rubicundi.

Comment. Galeni. 32

Est ſanè & huius ſentẽtiæ contextus perſpicuus. dictum nanq; à me eſt in primo de Temperamentis libro, ſatius eſſe ver temperatũ vocari, non humidum & calidum. Suberat verò cauſa aliqua, ob quã Medicorum Philoſophorúmque nonnulli, ipſum calidum, humidúmque dicerent. Sic enim in anni temporibus hoc humidum &. calidum.

dum eſſe dicunt, † vt in genere eorum quæ corpora habent animalia: hæc ſanè cum plantis conferentes: ver autem autũno, inter anni tempora optimum, & vt ita dixerim, ſolum exactè ſecundum naturam habens, cum eo quod præter naturam affectum eſt. At ſanguinem vere redundare, cùm alia, tum illud indicio eſt, quòd tunc dyſenteriæ infeſtent, cruentæ ſcilicet dictæ, nó quæ ex bile inteſtina exulcerant. Verùm de cruenta hac dyſenteria in quarto operis de Articulis commentario tractaui, affectum hunc oſtendens frequenter copia ſanguinis oboriri, qui in venis continetur: deinde quem natura per inteſtina confertim excernit, ſicut & mulieribus per vterum, nonnullis per nares, aut hæmorrhoïdas, aut vomitum. Porrò æſtatem adiunxit

† Textus hîc Græcè eſt corruptus: ſententia autem fuerit hæc ex lib. 1. Temper. vt animalia ſanguine prædita calida humida dicuntur, cum plãtis vel mortuis collata.

ver

veri, tum dysenteriæ ratione, tum ob†cutis ruborem. Nam beneficio sui ipsius caloris generatus vere sanguis, & rubicundam totius corporis cutem efficit, & per annum quibusdam excernitur. Cæterum calidi ad tactum tunc apparent homines, tum sanguinis tum etiã ambientis aëris beneficio.

† χρόα hîc pro cute, vt χρῶς & χρῶμα sæpe capiũtur.

SCHOLIA.

Sanguis, vt dulcia cætera, fit à calore moderato (qualis est in vere) ex chylo & pituita dulci, quæ hyemi & veris initio, quòd hyemis fini simile est, succedit. Humores singulos singulis anni partibus abundare probat per ipsorum in corpore redundantium excretionem, morbos ipsis humoribus congeneres ac familiares. Colorem cutis, qui similis humoribus subiectis in cute solet efflorescere, per alia etiam deprehendi docet Gal. lib. 4. sanit. tuendæ.

TEXTVS HIPPOC. 33.

AEstate sanguis inualescit adhuc, & bilis in corpore attollitur, producitúrque in autumnum:

in

in quo ſanguis quidem paucus generatur(contrarius enim ipſius naturæ autumnus eſt) bilis autẽ æſtate & autumno,corpus occupat. Id quod hinc diſcere licet. homines ſua ſponte hoc anni tempore bilem vomunt,& in medicamentorũ potionibus bilioſiora purgãtur.Conſtat autem & ex febribus ,& hominum coloribus. At pituita æſtate imbecillior eſt ſeipſa. Quippe contrarium ipſius naturæ tempus ,eſt ſiccum & calidum.

Comment.Galeni. 33

AEſtate,& præſertim per ipſius initia,pleriſquę ſanguis abundat,vere auctus, vt qui ab ambientis aëris calore nondum ſit diſcuſſus. Augeſcit autem bilis,quòd hoc anni tempore corpus præter naturæ modum incaleſcat. Cæterùm no minauit hìc rurſus bilem citra appendi-

pendi-

pendicem coloris vocabuli, flauam, nunquam atràm ſimpliciter nominans, verùm ſemper cum adiectione coloris nominis. Particularia in oratione manifeſta iis ſunt, qui animum adhibent.

SCHOLIA.

AEſtatis initio, quod veris fini eſt ſimile temperatura, ſanguis adhuc abundat: ſed mox à calore aëris immodico, vt mel, & dulcia cætera, pars eius tenuior & dulcior in amaram bilem promptè vertitur: craſsior aliquando poſt in atram, vt cap. 12. lib. 2. Feb. Autumnus autem frigiditate ſua, calorem moderatum, ſanguinis cauſam efficientem, minuit, & ſiccitate humorem benignum, ſanguinis futuri materiã, abſumit.

TEXTVS HIPP.

SAnguis porrò per autumnum paucíſsimus gignitur in homine. quoniã ſiccus eſt autumnus, & refrigerare iam hominem incipit: at atra bilis in autumno plurima valentiſsimáque eſt.

Comment. Galeni. 34.

SVperiore cōtextu dictum erat, ſanguinem in autumno paucum generari, vt qui naturam autumno contrariam habeat. Nos autē quomodo contrariam habeat, edocuimus. Si enim ſanguis calidus, & humidus eſt, veri ſimiliter: autumnus autem, vt ipſe dixit, ſiccus eſt, & refrigerare iam hominē incipit: meritò autumnus veri contrarius eſt, & humorem redundantem ſanguini contrarium obtinet, ſiccum & frigidum. Generatus autem eſt talis bona ratione, quòd in æſtate humores priùs adurantur: reliquiæ verò aduſtorum humorum, reſtincto ſcilicet calore, ſtatim frigidæ ſiccæq; redduntur: frigidę quidem propter calorem extinctum: ſiccæ, quòd totus ipſius humor, quum aſſaretur, ſit conſumptus.

SCH

SCHOLIA.

VT per ætatem florentem, sic per æstatem sanguis aduritur, nondum autem vstus est: in ætate verò declinante, & autumno iam vstus est, & bona sui parte in atram bilem abijt. Quæ enim eius portio tenuior, in bilem flauam abit, ea magis & magis vsta, in bilem vitellinam transit: quæ noua vstione fit melancholia multò acrior, quàm quæ ex parte sanguinis crassa conficitur. Est autem hæc melancholia calci coctæ, & fæci vstæ similis, in qua ignis extinctus est, vel sic sopitus, vt primo occursu non appareat: in actum autem eductus, vrat: cùm lapis, fæx non vsta, humor melancholicus, absolutè frigida sint.

TEXTVS HIPPO. 35.

QVum verò hyems ingruit, bilis refrigerascens pauca gignitur, & pituita rursus augescit, tum à pluuiarum copia, tum à noctium prolixitate.

Comment. Galeni. 35.

HVmorem in singulis quatuor anni temporibus præpollentem, vult ipsi tempori respondere,

temperamento:ideóque pituita frigida & humida nominatur, hyemi similiter: ſanguis autem calidus & humidus, veri:flauam bilem calidã & ſiccam eſſe dicit, vti æſtatẽ:& nigram, ſicut autumnum, frigidã & ſiccã. Quòd igitur dixit, quibus anni temporibus ſinguli humores augentur, anteà probauit, nunc cauſam reddit, cur pituita hyeme redũdet ex crebris, inquit, pluuiis, & noctibus prolixis:eò quòd hoc anni tempus humidum ſit & frigidum. Humidum igitur eſſe monſtratur, pluuiarum copia:frigidum, noctiũ lõgitudine. Nam caloris, quẽ æſtate ambiens nos aër obtinet, Sol autor eſt, dum propè ſupra verticẽ noſtrum emergit, & diem longiorem efficit. Ita etiam hyeme frigiditatis idem autor eſt, quum obliquus humiliſq;, & breui tẽpore ſupra terrã

Sol caloris æſtate, & frigiditatis idem autor eſt hyeme.

fera

feratur. Hippocrates autē vult, animantium corpora pro ambientis nos aëris constitutione affici: ita vt siccentur quidē in siccis ipsius temperamentis, humectentur autem in humidis: ita verò vt incalescant in calidis, refrigerentur in frigidis. Si igitur hyēs humida & frigida est, bona ratione in ipsa pituita superat, quum sit frigida & humida. Id quod etiam priùs ipse ostendit. Ratio autem ipsa & aliis anni temporibus cōsentire videtur. Nam æstate flaua bilis præcellit, quoniā sicca & calida facultate est. Vere, sanguis, humidus calidúsque humor. siquidem & ver calidum esse & humidum prædicauit. In autumno autem atra bilis, quæ frigida & sicca est, tempori respondens. Proinde non exigua quæstio de veris temperamento oritur, quomodo cali-

dum & humidum dicatur: quam cùm tractarem, ostendi meliùs esse, temperatum ipsum dicere. Qua ratione constat & sanguinem non calidum & humidum, sed temperatũ appellari. Præterea maior adhuc quæstio erit, ab interpretibus libri omissa, nempe de pituita, quæ humida quidem & frigida consistentia est, sed in hyeme generatur. Cur autem dixerim non exiguam fore quæstionem, iam tibi aperiam. Hippocrates ipse in Aphorismis inquit, Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: itaque per ea tempora cibi liberaliùs dari debent. Caloris enim natiui copia magna inest, vt cibus proinde plenior requiratur. Argumento ætates sunt, & athletæ. Et iterũ, Aestate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme

Lib.1. temperam. & aphor.9. lib.3.

Apho.15. lib.1.

Aph. 18. lib.1.

me facillimè, mox vere. Si igitur hæc ſunt vera,& pituitam frigidū humorem,non temperatum, nouimus, quemadmodum ſanguinem, quomodo in hyeme copioſior generabitur?Cōueniebat enim ex alimento probè concocto ſanguinem potius generari, quàm pituitam. Quæ igitur dubitationis ſolutio? Meo quidem iudicio,ventres hyeme calidiſsimi ſunt naturali calore, hoc eſt, temperatiſsimi: particulæ autem corporis refrigerantur magis in hyeme quibuſdam & venter ipſe ex itinere,aut veſtium penuria, aut ſtudiorum genere, aut huiuſmodi aliquo.Penetrat igitur omnis ambientis aëris frigiditas in corpus quàm penitiſsimè, quibuſdam etiam vſque ad ventris regiones,vt expoſitū eſt.Quare licet in ventriculo cibi aſſumpti probè concocti

ſint, certè in iecinore, dum mutantur, non exactum ſanguificationis ornamentum recipiunt, ſed aliqua ipſius parte fruſtrãtur. Inſuper minus multo totius corporis venæ ipſum trãſmutant refrigeratæ. Accedit huc etiã copia ciborum, qui hyeme offeruntur qualitatibus ſimul pituitoſiores. Nam legumina hyeme multa comedunt, paníſque multo amplius, quàm in aliis anni temporibus, ſimilaginem, placẽtas, ſeu liba, quæ Græci rhyemata vocant, olera, rapas ſatiuas, carnéſque multas, quaſdã ex iis manifeſtò pituitoſas, ſicut ouillas: quaſdàm niſi probè cõficiantur, vti †aprorum, & præſertim †porcorũ. Itẽ bulbis, cochleis, caſeo, aliíſq; hoc genus multis per totam hyemem veſcuntur, quæ facilè in pituitam tranſeunt. Quinetiam bibunt cõplures vinũ

† ὑῶν
† χοίρων. *Suum domeſticorũ, quàm ſylueſtriũ, caro eſt pituitoſior.*

recens, quod & ipſum pituitæ generandæ idoneum eſt. Quare his de cauſis pituita hyeme redundat.

TEXTVS HIPP. 36.

HAbet igitur corpus humanum hæc omnia perpetuò: temporis autem anni circumacti ratione nũc magis augeſcunt, nunc imminuuntur ſingula ipſorum, ſecundũ partem, & ſecundum naturam.

Comment. Galeni. 36.

OMnia, inquit, commemorata, hoc eſt, quatuor humores corpus humanum toto vitæ curriculo obtinet. id enim ſignificat ipſi τὸ ἀΐδια, id eſt, perpetuò. Augeſcunt autẽ imminuuntúrque hæc, prout anni tempora mutantur. Nam [temporis anni circũacti ratione] idem ſignificat, quod tranſmigrantis, id eſt, mutati, & in aliud quoddam ſibi proximũ tranſeuntis. Porrò quòd

augeſcere hæc,& diminui ſecundũ partem,& ſecundũ naturam dicit: nonnulli quidem[ſecundum partẽ] intelligũt de corporis partibus eſſe dictum: nonnulli verò ei quod ſecundum naturam dixit cõtrarium, vt oratio ſit talis: Quatuor humores comprænhenſos humanum corpus ſemper obtinet: copioſiores autẽ & pauciores pro anni partibus, & pro natura. Quod ſi mutata oratione dicas, ſenſum habebit tũ vtilẽ tum verũ. Nã humorũ copia ſecundũ anni tẽpora variat, ſi annus ſecũdum naturã diſpenſetur: & ſecundum totius anni partes, etiamſi non ſecundũ naturã gubernetur, humores quantitate differunt. Licet etiã de anni tẽporibus partes inaudire.

SCHOLIA.

Humores hi 4. pro varia aëris temperatura, & corporis, & victus ratione varia, modo augen

augentur, modò minuũtur. Pars enim calidior. alimentum temperatum, biliosius: vt frigidior, pituitosius reddere potest. quod Galenus probat lib. 3. Locorum affectorum, cap. 6. de melancholia.

TEXTVS HIPP.

QVemadmodũ enim totus annus particeps est omniũ, & calidi, & frigidi, & sicci, & humidi. neque enim in hoc quicquã vllo tempore consisteret, sine omnibus quæ in hoc mundo insunt: verùm si vnum aliquod deficiat, omnia simul abolebũtur. nam omnia ab eadem necessitate constituta sunt, & se mutuò aluntur.

Comment. Galeni.

CAlidum, frigidum, siccũ, & humidum, non quod secundũ excellentiam nominatur cõsideratúrque, sed elementare intelligens, etiã in proposita oratione indicauit, ubi inquit, annũ vniuersum omniũ esse participem. Quippe nõ eorum omn

omnium quæ per excellentiã dicũtur, vniuersus annus cõpos est, sed elementarium: tota quidem hyems humidi & frigidi: æstas, contrariorum sicci & calidi: autumnus frigidi & sicci. Prȩterea manifestiùs hoc innuit, quũ diceret, corrumpenda etiã alia, si vnum ex ipsis interierit. Etenim quũ vnũ ex elementis perit, id quod ex ipsis cõpositũ est, corruptũ iri, vera est oratio: quum ex his quæ secundũ excellentiã nominantur, falsa. quippe contrarium ipsum verũ est, quum aliquid ex illis perit, quæ ex dominio appellationẽ sortiuntur, oppositum ipsi conseruari. Quum enim æstas nõ est, hyems est: quũ hyems non est, æstas est: quum ver abest, autumnus est: quũ autumnus nõ est, ver est. At si omnino calidũ elementum perierit, humidum quidem concrescet, quoniam non amp

npliùs calidum eſt. Sin autẽ Sol o-
nino interit, nulla planta, neque
ima relinquetur. Eadẽ ratione ſi
igidum elementum pereat, omnia
nis erunt: & ſi ſiccũ, aqua erũt o-
nia. Atq; ſic vniuerſa in mundo
nerata corpora corrũpentur. Id-
rco dixit elementaria in ipſo cor-
ora ex ſeinuicem nutriri. nam exa-
um elemẽtum, intelligitur magis,
nàm ſit. Quòd verò cũ illo prope-
odũ idem eſt, vnum aliquod eſt ex
orum numero, quæ ſubſiſtunt. Si
itur abſolutè humidã frigidám-
ne aquã fieri cogites, nõ aqua ad-
ic ſeruabitur. Quippe ſtatim cõ-
eſcet, ſubſiſtet, & fluere ceſſabit.
ẽ ſi terrã ſimili modo adamuſsim
ccam frigidámque cõſideraueris,
irius adamãte tale corpus erit. At-
ne ſi eiuſmodi euaſerit, ſtirpium
eneratio deſinet. Vbi autem hæc
deſi

desierit, etiam animaliũ nutrimentum abolebitur: & sic hoc, nimirũ ipsa etiam animantia. Quum igitur elementum secũdum excellentiam intelligitur siccum & frigidum, & terra quæ in mundo est, siccum esse & frigidũ corpus dicitur, & aqua humidum. Verùm ignis ipse cuiusdam aëriæ etiã substantiæ, sicut & fumosę particeps est. quin & humiditatis ad nutritionẽ manifestò indiget, sicuti in lucernis flãmæ ostẽdunt. Quapropter mundi elementa alimentum ex se mutuò obtinent. Atq; ideo Plato quoque dixit: Idẽ enim, vt sibi alimentum suum & corruptionem exhibeat, ac omnia in se, & à se, tum patiatur, tum agat, artificiosè fabricatum est.

SCHOLIA.

Elementa mundi per motus varios, & calorem, & radios corporum cœlestium commist

mista, ad rerum & sui generationem & corruptionem, admodum sunt necessaria. Nā ex ipsis omnia fiunt, & ipsa à seinuicem fouentur, & si vis, aluntur: dum aëris superior pars leuissima, lucidissima, rarissima, calidissima, siccissima, in ignem abit: & contrà, ignis pars inferior, qualitates aëris nacta, in aërem: aëris pars inferior crassata, grauior reddita, & densior, in aquā: & contrà aquæ pars superior tenuata, leuior reddita, & cæteras aëris qualitates sortita, in aërem transit. Eodē modo humorū, animalis elementorum, magna est necessitas, vt ex quibus partes animalis fiant, & nutriantur: & qui velut concordi pace ligati, à seinuicem fouentur. quidam etiā aluntur, vt sanguis à pituita, bilis vtraq; à sanguine. Fouetur autem pituitæ frigiditas, humiditas, à bilis caliditate siccitate: sanguinis caliditas, humiditas, à succi melancholici frigiditate, siccitate, vt ex his omnibus quātitate & qualitate idonea iunctis, optima sanguinis totius fiat temperatura. Quæ perit, dum horum aliquis aut nō gignitur, aut genitus quidē est, sed prorsus vacuatus sponte naturæ, aut vi medicamēti purgā-: cui maxima sanguinis totius succedit intēperatura, & hinc mors, vt Gal. lib. de Diff. sympt.

TEXTVS HIPP.

Ta etiam, si aliquod ex his cognatis in homine deficiat, nó vtique poter

poterit viuere.

Commenta.Galeni.

COgnata vocauit sanguinē, pituitam,& vtrāque bilem. quandoquidē primam conformationem habuit † conceptū, ex materno sanguine, omniū participe. Itē augumētum alimētúmq; similiter. Si igitur omnino ex corpore nostro vel humidū, vel siccū, vel calidū, vel frigidum interit, statim humores corrūpentur, qui per excellentiā, nō syncerè, neque exactè sunt humidi, sicci, calidi, & frigidi. Nam pituitam humidam & frigidā esse dicimus, nō ceu contrariorum expertem, sed veluti ab his superatam. Et si frigida exactè esset solùm, glaciei modo concresceret: sicut etiam si humida adamussim esset, non haberet crassitiem, neque viscositatem. Eadem ratione dicitur, & de vtraque bile: nam

† τὸ κυούμενον, fœtus.

nam flaua, ſicca: nigra ſicca & terreſtris eſſe dicitur, humiditatis etiã nimirũ particeps: alioqui non eſſet humor, ſed ſolidũ corpus, vt adamas. Sic autem & frigida dicitur, quòd plus in ea frigiditatis, quàm caloris exiſtat: nã ſi exactè eſſet frigida, glaciei inſtar cõcreſceret. Sed quid opus eſt de iis verba facere, quum ipſe ſanguis, qui videtur temperatiſsimus, talis dicatur, quòd nihil in ipſo contrariorũ inter ſe admodũ præpolleat, neq; calidũ frigido, neq; frigidũ calido, neq; humidũ ſicco, neq; ſiccũ humido? Quoniã igitur & ſanguis ipſe quatuor indiget qualitatibus, humiditate, ſiccitate, caliditate, & frigiditate, conſtat omnibus, aliorũ quoq; humorũ mixtionem ipſum requirere. Atq; ob id tẽperatiſsimus ſanguis, particeps erit, & pituitæ, & bilis

flauæ, & atræ. Iã verò est alia quædã ratio naturalis nõ parũ ad probãdũ efficax, qua humores quatuor ad mores idoneos generãdos vtiles demõstrãtur. Verùm priùs ostẽdisse in ipsa conueniebat, animi mores corporis tẽperaturam sequi: de quo nos etiã alibi scripsimus. Itaq; hoc statuto, acrimonia animi & prudẽtia ex bilioso humore ꝓficiscetur: cõstantia verò & firmitas ex melãcholico: simplicitas autẽ & stoliditas, ex sanguine: pituitę verò natura ad mores fingẽdos, inutilis. Necessariam verò ex prima ciborũ mutatione generationẽ habere videtur.

Animi mores corporis tẽperaturã sequi, docet libellus Galeni.

TEXTVS HIPP.

INualescit autem in annò nunc hyems maximè, nunc ver, nunc æstas, nunc autumnus. Ita & in homine modò pituita inualescit, modò sanguis, modò bilis, primùm sanè

nè flaua, deinde nigra.

Comment. Galeni.

CLara eſt viri ſentētia, qui oſtendere nititur, quēadmodū in anno aliàs humidū & frigidū præpollet, vocatúrq; tale anni tēpus hyēs: aliàs humidum & calidū, quando ver eſt: aliàs ſiccum & calidum, quę æſtas nominatur: poſtremò ad hæc, ſiccum & frigidum in autumno: ſic & in homine præualet pituita quidem hyeme, humor frigidus & humidus: ſanguis vere, calidus & humidus: flaua bilis æſtate, ſicca & calida facultate prædita: nigra in autumno, ſicca & frigida, quemadmodum & ipſe autumnus exiſtit.

SCHOLIA.

CAuſa huius eſt in varijs flatibus, qui partes anni præcedentes permutauerunt, & velut diſpoſuerunt ad futurarum anni partium temperaturam, vt lib. 3. Aphor. docet Hippoc. Nam aëris mutationes à corporum cæleſtium

influxu, ceu incertißimas & vanißimas ab Astrologis nugacibus cōfictas, nō recipit Medicus.

TEXTVS HIPP.

TEstimonium huius rei manifestißimum est, si eidem homini idem medicamentum quater in anno voles exhibere: per hyemem pituitosißima tibi euomet: vere, liquidißima: æstate, biliosißima: in autumno, nigerrima.

Comment. Galeni.

TEstimoniū prædicti sermonis manifestißimum esse dicit, in quo singulos humores in singulis anni tēporibus excellere docuerat, nempe quòd vomitus, si medicamētum quater in anno quod illum citet, propinetur, hyeme sit pituitosior: in vere, humidior: æstate, biliosior: in autumno, nigrior.

SCHOLIA.

ANtea singulos humores in singulis anni partibus abundare probauit per excretiones.

nes varias: sed vomitus biliosi tantùm in æstate meminit: quòd ea leuitate sua promptiùs & frequentiùs suprà à natura & medicamento purgetur, vt Aph. 4. & 6. libr. 4. si ad os ventris repat. Nunc autem singulos humores, partibus anni sibi familiaribus, copiosos vomi per idem medicamentū, quia tunc abundant, docet. Nō quòd pituitam & bilem atram vomitu vacuari velit, nisi eo repant: deiectione enim magis purganda sunt, vt Aph. 4. & 9. lib. 4. Nec te moueat, quòd omnes hos humores diuersis tēporibus ab eodem medicamento purgari ait. Id enim vi vomitus fit, quem medicamentū efficit, nō medicamenti, illos humores varios ex corpore trahentis: nisi compositas habeat facultates, quibus humores vel multos, vel omnes attrahat, vt hiera picra Galeni, bilem & pituitam: catholicum practicis dictum, omnes humores. Solius enim aquæ tepidæ potus, eam vomitionem excitare poßit omniū humorum: si tamen craßi sint, vel lenti, vel altius in tunicas ventriculi infarcti, tenuantibus, incidentibus, & ex alto euocantibus egent, quæ priùs sumantur, & simul cū vomitorio, vt Gal. lib. 5. Vsus partiū per radiculā & oxymeli facit.

TEXTVS HIPP.

Conuenit igitur, quum hæc ita se habeant, morbos qui hyeme *Morbos docet Hippocr. par*

tibus anni familiares lib. 3. Aphor.

augeſcunt, æſtate finiri: qui rurſus æſtate augẽtur, hyeme deſinere: qui ex ipſis nõ intra dierum circuitum ſoluantur. Circuitum verò dierum quis ſit, aliàs exponam. Qui vere gignuntur morbi, eos in autumno ſolutum iri, expectandum eſt: autumnales morbos, vere terminari neceſſe eſt. Quicunq; verò hæc anni tempora exceſſerit, hũc annuum fore ſciendum eſt.

Comment. Galeni.

INitium ſententiæ, duplicẽ habet in Græco ſcripturam: nõnulli loco, conuenit, legunt Græcè ἁρμόζει, nonnulli φιλεῖ, quod idem valet, ac par eſt, ſeu conuenit. Vtuntur enim nonnunquam voce hac, pro cõuenit. Reliqua perſpicua ſunt. Vult enim autor morbos qui in vetuſtatẽ incidunt, & non dierum, ſed menſium circuitu fiunt, hos contrario anni

anni tempore ei quo generati sunt, hoc est, septimo mēse finiri: in quo si non soluti fuerint, annuum fieri morbum pronuntiat. Porrò annuū nomen potest signare etiā eum, qui post annum primæ suæ generationis soluitur. Potest etiam eum innuere, qui septem annorum circuitu, vt septem mensium, finitur. Etenim in Aphorismis ita quoque dixit: Plurimi affectus puerorum iudicantur aut intra quadragesimum diem, aut intra septimum mensem, aut intra septimum annum, aut quum ad pubertatem itur.

SCHOLIA.

Contraria cōtrariorū sunt remedia, vt Hippocr. lib. de Flatibus, & Gal. in Methodo, paßim demōstrat. Morbis igitur pituitosis, id est, frigidis & humidis. (Est enim pituita omnis, humor frigidus, humidus, etiamsi crassus sit & lentus, lib. de Causis morborū) æstas calida & sicca, est causa salubris. Et contra, æstiuos ac biliosos, Pituitæ quid.

id est, calidos, ſiccos, humiditas & frigiditas hyemis, ſoluit, niſi ante hyemis aduentum aliquo die decretorio (de diebus autem decretorijs Hippocrates agit Aphor. 24. lib. 2. & in alijs paſſim, & libr. 3. Prognoſticôn) deſierit: quæ oratio rectè æſtiuis additur. Cum enim hi ferè acuti & breues ſint, crisíq; finiantur, pauci eorum ad hyemem pertingunt. Nam ſi quartanæ, quæ ſolutu ſunt difficillimæ, æſtiuæ tamen ſint breues, vt Aphor. 25. lib. 2. multò magis morbi alij breues erunt. Sic vernis morbis autumnus eſt ſaluber, & contrá. In ijs enim temporibus eſt etiam contrarietas, ſiue ver calidum, humidum, cum Hippocrate: ſiue temperatum, cum Galeno dixeris. Nam intemperata intemperatis & temperato ſunt contraria. Morbis autem non modò contraria äëris temperies ſuperueniens, eſt cauſa ſaluberis: ſed etiam ætatis, & victus ratio cõtraria, finem adfert, vt Aph. 45. lib. 2. & Aph. 3. lib. 3.

Quartanæ ſolutu difficillimæ.

TEXTVS HIPP.

AT que ſic medicum ad morbos accedere conuenit, non ignarũ, ſingula hæc in corpore ſecundum anni tẽpus pro natura ſua maximè conſtitutum, inualeſcere.

Comm

Comment. Galeni.

AD quid tota ſuperior de anni temporibus diſputatio valeat, nunc in pręſenti oratione edocuit, indicans eundem quoq; vſum præbere de ætatibus,locis,vitæ ſtudiis, & quotidiana victus ratione:enarrationem. Nanq; Medicum ad hæc omnia reſpicientem oportet coniicere, quis humor præpolleat aut quãtitate,aut ipſius viribus,in qua potiſsimùm corporis particula redundet. Sic ęnim curationem optimè obierit, ſicut in medendi inſtitutionibus docetur. Hippocrates, quum corporis noſtri naturã hoc in libro propoſuiſſet inuenire, hac via ac ratione ad inuentionẽ vſus eſt.Primùm ſanè diſquiſiuit,vtrum ſimplex, an multiplex eſſet: deinde vbi inueniſſet eſſe multiplex, ſimplicium in eo ſubſtãtiam qualis ſit,

inſpexit,hoc eſt,quam vim habeat, vt ab aliquo patiatur; aut agat. Et huius rei gratia, anni, temporum, ætatúmque meminit, conſiderans, quomodo elementa à ſe inuẽta ipſis reſpondeant. Item inuenit & morborum ſolutionis præſagia, & curationes ad eoſdem referendas eſſe ſcopos. At dum elementa, corpus noſtrum componentia, inueſtigaret, etiam vniuerſi mundi elementorum commeminit, quæ reuera ſunt elementa. Dicuntur enim nõnunquam per abuſionem vocabuli, cuiuſque rei ad compoſitionem ſimplices, & primæ particulæ, illius rei elementa: quemadmodum muſica elementa, rhythmica, geometrica, arithmetica, orationis, vocis, & demonſtrationis dixerũt. Similiter etiam plauſtri centum elementa ab Heſiodo eſſe dicta, Pla-

to commemorat in eo hemistichio; Centum lignáq; plaustri. Omnia sanè, quę sic dicuntur, singularum rerum elementa, non adamussim simplicia sunt, & primaria: communia verò omnium rerũ simplicia & prima verè existunt, & propriè nominantur elementa. Hippocr. autem à qualitatibus ipsa denominat, calidum, frigidum, humidum, & siccũ, non quæ media summorum sunt, sed ipsa summa, ignem videlicet, & terram, & aquã, & aërem. Hanc igitur methodũ Plato censuit sibi imitandã, quum de natura animæ consideraret. Nullum enim particulare citra totius naturã exactè posse cognosci. Adscribam autẽ tibi ipsam Platonis dictionẽ, quæ hunc in modum habet. SO. Animæ igitur naturam, sine totius natura intelligere te, vt conuenit, posse arbitraris?

PHAE. Si ſanè Hippocrati ex Aſclepiadarum genere credendum eſt, ne corporis quidem naturã citra hanc methodum poſsis. SO. Rectè quidem, ô amice, dicit. attamen præter Hippocratem, ratio inſpiciunda, examinandáq; eſt, an ipſi cóſentiat. PHAE. Aſſentior. SO. Et quid tandem Hippocrates dicit, veráq; ratio? an non ſic? Conſiderandum eſt de cuiuſlibet rei natura; primùm ſi nè ſimpléxne ſit, an multiformis, cuius nos ſcientes eſſe voluerimus, quámque alios docere ſtudeamus: poſteà verò ſi ſimplex fuerit, facultas ipſius inſpiciunda eſt, quam videlicet ad quid agendum, item quã ad patiẽdum ab alio, habeat. Quòd ſi multas habeat ſpecies, his dinumeratis, in ſingulis ſimiliter, vt in vna, naturalis & agendi, & patiendi vis inquirenda. Verùm quũ hæc

Plato sic conscripserit, ostendat aliquis nobis in quo Hippocratis libro alio quàm qui de natura hominis inscribitur, methodum hanc sit inuenire: aut si non possit, nullum quærat fide digniorem Platone testem eius, quòd hic liber sit germanus. Nam præter alia Plato proximè Hippocratis discipulis tempore successit, quorum si cuius liber esset, ipsum autoris nomen fuisset inscriptum. Nã prius quàm in Alexandria & Pergamo reges essent creati, qui veteribus libris comparandis vincere se mutuò contendebant, nondum opus falsò fuit inscriptum: verùm postquàm præmium capere inceperunt, qui vetusti cuiusdam scriptoris monumenta ipsis offerrent, hac tandẽ ratione multa falso titulo inscribentes attulerunt. Verùm hi reges post Alexan-

dri mortem extiterunt: Plato autē ante Alexandri principatum hæc memoriæ mandauerat, quum nullę adhuc inſcriptiones eſſent dolo effictæ, ſed ſuum quiſq; liber ſcripto rem titulo repræſentaret. Itaq; Plato fatetur, ſe ſecundum Hippocratis methodū de animæ natura conſiderare, vt ille de corpore: fieríque hoc aliter poſſe negat, antequàm totius naturā habeas cognitā. Nonnulli tantùm aberrarunt, vt tam mirabilem methodū, alterius cuiuſdā eſſe cenſerent, eò quòd is qui primùm rem adeò magnam & grauē inuenit, demonſtrationē ipſius ſcribere non ſit grauatus. Quomodò enim non magnum & graue cēſeas, omnium generatorum corruptibiliúmq; corporum elementa inuenire? quomodò non multò magis demōſtrationibus fidem facere? Atq;

hæc

hæc in verſibus ne totis quidẽ trecentis, ſed multò paucioribus complecti potuerit. Non enim veriſimile eſt Hippoc. in omnibus medicandi prænoſcendíq; inuentis, elementis tanquàm demonſtratis vti, nuſquam verò demonſtrationẽ ipſorũ explicaſſe. Hæc igitur ex ſuperfluo mihi dicta ſunt, vt oſtenderẽ, germanũ Hippocratis eſſe librum. Nó tamen in hoc ceu ſeriò ponendum eſt ſtudium, ſed de veritate eorum quæ in ipſo conſcripta ſunt, accuratè conſiderandum eſt. Id autẽ nos in opere de Elementis ex Hippocratis ſententia, factitauimus: Quod quum inuidi apud omnes eruditos in pretio haberi viderent, frigidam defenſionem attulerunt, cur librũ Hippocratis non eſſe dicerẽt. Porrò quòd hæc ſtatuerit, ad illáq; ſemper reſpiciens, omnia particularia

oper

opera cõſcripſerit, pro confeſſo habetur. Quoniã verò æmuli, vt ſunt impudentes, etiam iis quæ apud omnes in confeſſo ſunt, & omnium conſenſu probantur, contradicũt: idcirco alterum opus edidi, tali inſcriptum titulo, Quòd etiam in aliis operibus Hippocrates eandem habere opinionem, quàm in libello de Natura hominis, videatur.

SCHOLIA.

QVanquàm in morbis hi ſunt minus periculoſi, qui temperiem habent ſimilem ætati, temperaturæ & habitui ægri, ac etiam temperaturæ aëris, quàm qui cum nullo horum cõgruũt, vt Apho. 34. lib. 2. tamen ſolicitudo maior habenda eſt, vt illis cauſas ſalu. res opponamus, vt morbis pituitoſis, hyeme calfacientia, ſiccantia: bilioſis, æſtate refrigerantia, humectantia. Quæ valentiora tutò his temporibus in morbis congeneribus exhibentur, cùm tempora hæc ſuam ſeruant naturam, vt æſtas caliditatem, ſiccitatem: hyems frigus, humiditatem.

FINIS.